DE

TIBULLI LIBRI QUARTI ELEGIIS

INDE AB ALTERA USQUE AD DUODECIMAM

DISPUTATIO.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

REGIAE ACADEMIAE GEORGIAE AUGUSTAE

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

SCRIPSIT

CAROLUS CHRISTIANUS KNAPPE

ERFURTENSIS.

DUDERSTADT,

EX OFFICINA FR. WAGNER.

MDCCCLXXX.

PARENTIBUS CARISSIMIS.

Priore tempore carmina omnia, quae insunt in quatuor illis libris, qui e Tibullo nominantur, a Tibullo profecta esse putaverunt.[1]) Nostra aetate primus tantum et liber secundus et libri quarti carmina 13 et 14 omnium consensu Tibullo tribuuntur. Tertium contra et librum quartum a Tibullo scriptos esse multi negant. Neque erit, qui contendat, Tibullum libri tertii carmina composuisse. De quarti autem libri elegiis (Messalae panegyricum omittimus), ut omnes consentirent, nondum contigit. Nam de carminibus, quae restant 2—12, diversae sententiae prolatae sunt. Sunt enim, qui haec carmina omnia a Tibullo scripta esse negent. Alteri elegias inde ab altera usque ad septimam Tibullo tribuunt. Qui carmina inde ab octavo usque ad duodecimum epistolas amatorias Sulpiciae, puellae doctissimae, esse putant. Quorum in numero sunt Gruppe, Teuffel, Zingerle, alii. Quae cum ita sint, haud abs re esse videtur, quam accuratissime de libri IV. carminibus disserere. Fieri enim potest, ut doctorum dissensio illa quaestione de hac re diligenter instituta tollatur. Atque mihi persuasi, Gruppe, Teuffel, Zingerle de priore elegiarum parte inde ab altera usque ad septimam recte iudicasse. Quibuscum libri alterius elegia altera conjungenda esse videtur. Sed de libri IV carminibus 8—12 de sententia Gruppe, ceterorum decedo.

Atque exordior a Gruppe, viro doctissimo, cuius sententiam a ceteris, quae antea de libri IV carminibus proferebantur, plane alienam plerique nostra aetate secuti sunt. Nam quum antea interpretum alii has elegias non solum inter se esse connexas negarent, sed etiam nihil nisi fragmenta esse contenderent, alii eas a Tibullo omnino non scriptas esse putaverunt atque Sulpiciae poëtriae, quae Domitiano imperante fuit, non tempori Augusto tribuerunt. Gruppe[2]) contra carmina inde ab altero usque ad duodecimum in duas partes esse dividenda putat; quarum priorem elegias inde ab altera usque

---

[1]) cf. Krafft, de artibus, quas Tibullus et Lygdamus in versibus concinnandis adhibuerunt. Halis 1874. p. 1.

[2]) cf. O. F. Gruppe, „Die römische Elegie“, Leipzig 1838, p. 47.

ad septimam complecti. Quas a Tibullo scriptas esse dicit. Id enim probari praestantia earum atque orationis similitudine, quae intercedat inter libros I et II et has elegias. Deinde artem poëticam, qua splendeant elegiae illae, prorsus esse Tibullianam. Quarum argumentum alienum esse a ceteris Tibulli carminibus concedit. — Praeterea Cerinthum in libro altero poëtae amicum inveniri; tertiam enim libri alterius elegiam eum alloqui atque alteram ad diem eius natalem concelebrandum esse compositam. Quae cum ita sint, non posse dubitari, quin Cerinthus quarti libri idem sit, qui in libro altero commemoretur. Huc accedere, quod his quoque in elegiis Messalae, Tibulli amici, fiat mentio, quapropter de Sulpicia poëtria, cui docti nonnulli has elegias attribuerant, non posse cogitari. Atque hae elegiae inde ab altera usque ad septimam e sententia Gruppe artissime inter se connexae amori Sulpiciae Cerinthique concelebrando inserviunt. Neque enim cogitandum esse de sententia Voss, qui has elegias corpusculum, quod dicunt, epistolarum Cerinthi, Sulpiciae, Tibulli esse putet; immo praecipua arte eas esse confectas, quae, tantum absit, ut nexu careant, ut optime cohaereant. Atque falsam esse illam opinionem Voss, inde posse colligi, quod luce sit clarius, alternis vicibus loqui poëtam et Sulpiciam.

Jam summa harum elegiarum e sententia Gruppe haec est: Sulpicia, puella nobilissima, Cerinthum, iuvenem quendam inferiore loco natum, adamat; quo amore in dies crescente permota totam se dare amato non dubitat. Atque recte iudicasse mihi videtur Gruppe, hoc argumento contineri elegias, de quibus agitur. Neque minus consenties cum Gruppe, haec carmina a ceteris libri IV esse separanda. Neque enim fieri potest, ut ceteris libri IV elegiis in amore Cerinthi Sulpiciaeque pergatur enarrando. Amoris enim enarratio eo perducta est elegia septima, ut exspectes, fore, ut in elegia proxima finiatur; non exspectamus, fore, ut uberius extendatur. Neque enim elegia septima finis enarrationis haberi potest, quum exitum tranquilliorem exspectes, in quo acquiescas. Sane, Sulpiciae desiderium expletum est, sed simul in boni moris offensionem incurrit. Deinde quum Venus, quam in carmine quinto invocavit, petenti non defuerit, Juno idem faciat, necesse est. Neque ulla alia re peccatum expiari potest nisi matrimonio legitime a reis contracto. Quae cum ita sint, cum hac elegiarum serie libri II elegia altera arte conjungenda esse videtur. Nam quod ad formam attinet, hac demum elegia ceteris adjuncta symmetria, quam dicunt, perfecta est. Poëta enim, qui in poëmatis exordio locutus est, in exitu loquatur necesse esse videtur. Huc accedit, quod in libro altero elegia, de qua agitur, tantum abest,

ut desideretur, ut ea dempta primam optime excipiat tertia. Jam si spectas ad carminis ambitum, non referendum esse videtur ad libri II, quae est earum longitudo, elegias; qua in re ad elegos libri IV optime quadrat; atque ut a ceteris segregaretur, facile fieri potuit, quum in ultimo loco esset positum. Neque mirum esse videtur, id libri alterius elegiis ante tertiam esse insertum, quum in illa Cerinthum alloquatur poëta.[1])

Sed ea, quae Gruppe ad sententiam suam stabiliendam defendendamque protulit, concidere videntur, si Rossbach secutus legis „Cornute", id, quod codices nonnulli praebent. Atque „Cornute" priore tempore corruptela e „Cerinthe" enata putabatur, quapropter Heyne-Wunderlich, Golbéry, Huschke, Lachmann, Dissen, viri doctissimi, „Cerinthe" scripserunt. Quam difficultatem tolli putabat Teuffel, qui in libro secundo pro nomine commenticio „Cerinthe" verum „Cornute" positum esse arbitratur. Neque id mirum esse opinatur, quum elegia II, 2 aliquanto post elegias libri IV sit composita, qua finiretur totum poëma. Tempore enim illo, quo Sulpicia iam cum Cerintho nupta elegia esset composita, poëtam non dubitasse, verum nomen, quod fuerit Cornutus, edere. Quae interpretatio mihi non recta esse videtur. Jure enim quaeri potest, quam ob rem Cornuto commenticium nomen imposuerit, Sulpiciam autem vero nomine appellaverit poëta. Neque enim dubitari potest, quin Sulpicia sit verum puellae nomen. Propterea eos sequor, qui nomen „Cornuti" depravatum esse e voce „Cerinthi" putant, praesertim quum nullo alio loco legatur.

Quae cum ita sint, Gruppe effecisse mihi videtur, carmina libri IV inde ab altero usque ad septimum arte inter se esse connexa. Quibuscum elegiam libri II alteram, qua quodam modo finirentur, esse coniungendam optime comprobavit. Igitur quum libri II elegias alteram et tertiam vere Tibullianas esse inter omnes constet, elegias quoque libri IV, de quibus diximus, a Tibullo esse scriptas, quodam modo demonstravit. Praeterea multis locis summam artem praestantiamque, quibus splendent, laudibus sustulit. Quo argumento quum id tantum efficiatur, dignas esse eas, quae a Tibullo scriptae sint, non appareat, eas re vera a Tibullo esse compositas, non est, cur de singulis poëmatis virtutibus accuratius dicamus.

Itaque pauca tantum argumenta attulit Gruppe, ut comprobaret, elegidia, de quibus agitur, a Tibullo esse composita. Res autem tantum abest, ut plene sit perfecta et absoluta, ut argumenta gravissima omiserit. Quae cum ita sint, ne idem quod Gruppe obji-

---

[1]) uberius dixit de hac re Teuffel, Studien, p. 368.

ciatur nobis, rem quam accuratissime tractemus. Atque tria potissimum spectanda esse mihi videntur, ut comprobem, elegias libri quarti a Tibullo esse scriptas, tota ars poëtica, sermo, res metrica. Quae si his rebus cum carminibus vere Tibullianis congruunt, eas esse Tibulli facile intelligitur.

Jam in eo est, ut demonstremus, carmina libri IV inde ab altero usque ad septimum eadem poësis natura esse, quae inveniatur in libris I et II.[1]) Neque minus ea excusanda sunt, quae in libri IV elegiis a poësis Tibullianae indole recedere videntur. Nam differunt hae elegiae vario modo a ceteris Tibulli carminibus. Tibullo enim alias suos ipsius amores canente, in libro IV amor Sulpiciae Cerinthique celebratur. Neque tamen hac re commovemur, ut elegias libri IV a Tibullo scriptas esse negemus, quia carminum quoque I. 7, II. 5 argumentum ab illo Tibulliano usitatissimo alienum est. Atque cum carminibus I. 7, II. 5 Messalam eiusque filium amicos laudet, nihil offensionis habet, quod illa carmina amori Sulpiciae Cerinthique amicorum inserviant celebrando. Neque mirum esse videtur, quod in elegiis, de quibus agitur, vitae rusticae studium illud non invenitur, quod, tantum abest, ut in libris I et II a puellae amore disjungatur, ut et amor puellae et vitae rusticae otium in unam eandemque notionem coierint. Memineris enim, poëtam non agere de suo amore in libri IV elegiis, sed in amore Sulpiciae Cerinthique describendo versari, qui non eodem vitae rusticae studio erant incensi, quo flagrabat Tibullus. Atque cum in duobus primis libris diligentem religionum cultorem sese praestiterit Tibullus, sperantibus nobis, in eadem condicione elegias libri IV esse versaturas, evenit, ut deorum precationibus sint refertae. Jam quod Tibullus quodam modo sibi proposuit, ut in eadem elegia omnes fere animi motus percurreret, non alienum est ab elegiis libri IV, id quod perspici licet, ut exemplo utar, ex elegia libri IV tertia, in qua metus et amor, venatus deprecatio et vagandi cum amato per valles montesque cupiditas sese excipiunt. Structurae negligentiam, quam dicunt, his in elegiis non inveniri, non mirum est, quia est iudicandum, si haec carmina a Tibullo scripta sunt, his elegiis, „mellitissimis et venustissimis ex tota antiquitate Romana“ nihil politius limatiusque esse apud Tibullum. Nec suavissimae illae descriptiones aliis carminibus Tibullianis immixtae in his elegiis, qui est parvus earum ambitus, iure exspectantur. Deinde eodem modo, quo librorum primi alteriusque carmina,

---

[1]) cf. Dissen, ed. Tib. tom. I. p. XXXVII. — Boltzenthal, de re metrica et de genere dicendi Albii Tibulli, Cüstrin 1874, p. 7. — Oestling, de Albii Tibulli vita et carminibus quaestiones, Upsala 1860.

elegiae, de quibus agitur, admirabili suavitate magnaque sermonis elegantia ornatae sunt neque minus quam ceterae orationis simplicitate eminent.

Jam sequitur, ut in eis, quae sequuntur, de dicendi genere Tibulliano accuratius disseramus. Atque quoniam in prioribus diximus, sermonem Tibullianum esse simplicem et dilucidum, iam, quomodo hanc perspicuitatem assecutus sit, explicemus et quaeramus, eodemne modo haec sermonis perspicuitas in elegiis quarti libri, quo in libris primo et altero, sit effecta. Quam ut assequeretur, longis periodis non usus est Tibullus, sed eas uno disticho amplecti studuit.[1]) Quae cum ita sint, noli putare, disticha inter se conjuncta non legi apud Tibullum, sed sicut lineis compluribus imago efficitur, ita haud raro disticha nonnulla una periodo complectitur poëta, ut res quaedam melius explicetur. Sed singula disticha per se vim habent, id quod facile intelligitur „cum nexus distichorum plerumque paratacticus conjunctionibus vel anaphora simpliciter et pulchre efficiatur.“ Quae cum ita sint, non miramur, coniunctionibus, quibus enuntiatio altera alteri subjungitur, non uti Tibullum, ut singula disticha inter se connectat. Sequitur, ut commemoremus, duo tantum disticha hoc modo saepius conjungi, rarius autem tria, rarissime quatuor inter se connexa inveniri. Sed ne in his quidem periodis lex illa Tibulliana negligitur, qua ut per se vim habeat distichon quodque sancitur. Quae in prioribus de nexu, quo duo vel tria disticha una periodo complectuntur, dicta sunt, haud minus in nexum membrorum singulorum distichorum sunt referenda.

Ad has res nihil interest inter carmina, de quibus agitur, et librorum primi alteriusque elegias. Nam et hic et illic ad has leges disticha formata esse invenies. Atque legem illam, quae disticha singula per se vim habere vult, optime observatam esse vides in his periodis duo disticha complectentibus: *3*, 1, 3; 11, 13; 15, 17; 19, 21. — *4*, 5, 7; 9, 11. — *7*, 7, 9. — Quo fit, ut his quoque in elegiis conjunctiones, quibus enuntiatio altera alteri subjungitur, non usurpet ad tota disticha connectenda poëta. Neque minus quod duo tantum disticha saepius, rarius autem tria conjungi a Tibullo dixi, incidit in elegias libri IV. Nam semel tantum tria disticha conjuncta leguntur hoc loco: 2, 15. Sequitur, ut commemoremus, in elegiis libri IV membrorum quoque distichorum nexum plerumque esse paratacticum, quo fit, ut carmina, de quibus agitur, hac in re libris primo et alteri similia esse videas.

Deinde amat poëta, sententias, quae sunt in distichis, plerum-

---

[1]) uberius de hac re dixit Boltzenthal, l. c. p. 8.

que ita proferre, ut constent ex duobus membris vel partibus, quae sibi opponuntur. Dici potest, Tibullum fere omnia, quae cogitaverit, bipartito divisisse. Atque divisio sententiarum illa bipartita non solum in singulis distichis invenitur, sed etiam per duo disticha extenditur. Uberius de hoc artificio Dissen disseruit.[1]) Qui cum elegias libri IV a Tibullo profectas esse putans exempla, quibus artificium illud Tibulli esse demonstratur, fere nulla nisi ex libris I et II enumeraverit, relinquitur, ut probemus, aeque in elegiis, de quibus agitur, divisionem sententiarum illam inveniri atque in libris I et II. Qua in carminibus libri IV usus est locis his:

IV. 2, 3—12: at tu, violente, caveto,
Ne tibi miranti turpiter arma cadant.
5. Illius ex oculis, cum volt exurere divos,
Accendit geminas lampadas acer Amor.
7. Illam, quidquid agit, quoquo vestigia movit,
Componit furtim subsequiturque Decor.
9. Seu solvit crines, fusis decet esse capillis,
Seu compsit, comptis est veneranda comis.
11. Urit, seu Tyria voluit procedere palla,
Urit, seu nivea candida veste venit.

Atque versibus 5—8 habemus divisionem sententiae bipartitam, quae per duo disticha extenditur! His enim versibus causa, cur fieri possit, ut Marti miranti arma cadant, eximia Sulpiciae pulchritudo affertur. Quae duobus distichis bipartito adumbratur. Neque minus sententia, quae versibus 7 et 8 inest, duobus distichis bipartito illustratur, quum eam capillos et fusos et comptos nec minus vestimenta cum pallam Tyriam tum vestem niveam decere dicat poëta. — Sequuntur ceteri loci, in quibus sententia bipartito divisa esse videtur:

3, 1, 2: Parce meo iuveni, seu quis bona pascua campi
Seu colis umbrosi devia montis aper.
4, 7: Et quodcumque malist et quidquid triste timemus,
In pelagus rapidis evehat amnis aquis.

Quo in loco petit a deo poëta, ut omnia mala auferat a puella. Atque quum mala esse possint diversi generis, poëta, quo est divi-

---

1) cf. Dissen, l. c. p. CXIX.
Jam interroget aliquis, quomodo fieri possit, ut ea, quae fusiori dicendi generi procul dubio inserviant, hoc enumerem loco, quum de sermone Tibulli agatur simplici atque dilucido. Sed quamquam hoc vere dici concedo, tamen nihilominus hoc artificio Tibullus simplicem et dilucidum reddit sermonem. Neque enim ut puto non spectat nisi „ad latitudinem expositionis elegiacae“, ut verbis Dissen utar, seu aurum et possessiones commemorantur pro opibus seu notio senectutis rugis faciei et capillis albis explicatur, immo optime hoc modo quae minus faciles sunt ad intelligendum notiones rebus sensui subjectis exponuntur. Haec hactenus.

dendi in partes studio, mala, quae re et veritate adsunt, discernit et quae ne veniant timentur.

4, 9: Sancte veni tecumque feras, quicumque sapores
Quicumque et cantus corpora fessa levant.

Hic medicamenta in sapores et cantus dividuntur. Sequuntur loci: *5*, 13, 14. — *4*, 5, 6. — *6*, 3, 14. Neque minus in his versibus divisio sententiae bipartita est:

4, 11: Sed tamen, ut tecum liceat, Cerinthe, vagari,
Ipsa ego per montes retia torta feram,
Ipsa ego velocis quaeram vestigia cervi
Et demam celeri ferrea vincla cani.

quamquam membra hoc loco — id quod apud Tibullum rarius invenitur — aequalia non sunt, altero pentametrum, altero distichum totum amplectente. Neque his verbis quidquam aliud dicere vult Tibullus nisi Sulpiciam, si liceat cum Cerintho venatum ire, negotia venatoria, quibus servi praeesse soleant, ipsam curare velle. Quae ita distinguuntur, ut cum retia per montes ferenda tum vestigia cervi velocis quaerenda custodiaque canum commemorentur.

Neque omittendum est, cum Tibullus saepius in libro I et II verbis singulis altero alteri oppositis has divisiones corroboraverit, in elegiis, de quibus agitur, huius artificii exemplum inveniri carminis tertii verbis his:

Quis furor est, quae mens, densos indagine colles
Claudentem teneras laedere velle manus?
Quidve iuvat furtim latebras intrare ferarum
Candidaque hamatis crura notare rubis?

Quem locum si conferas cum Tibulli I, 4, 47, iam intelligas, propter concinnitatem divisionis hic corporis membra, quae nominantur, esse mutata.

Quae cum ita sint, quae Dissen dixit l. c. p. CXXVIII, hoc artificio Tibullum usum esse ut alium neminem, in elegias quoque quarti libri cadere clarum est, ita, ut carmina, de quibus agitur, ceteris a Tibullo scriptis simillima esse videas.

Sequitur, ut de alio artificio, quo sermonem simplicem atque perspicuum reddit poëta, dicatur.

Sententia enim, quam protulit poëta in hexametro, saepius amplificatur pentametro sententiam hexametri aliis verbis repetente. Jam vides, nos de ratione illa inter sententiam hexametri et pentametri intercedente agere, quam O. Gruppe cum parallelismo illo, quo abundat poësis Hebraica, rectissime comparavit. Neque hac in re quidquam interesse inter libros I et II elegiasque libri IV dicendum est. Nam hic quoque amplificatio est simplicissima. Deinde formu-

las illas, quibus Dissen teste[1]) in sententiis repetendis utitur poëta in libris I et II, easdem invenis in carminibus, de quibus agitur. Nam sententia in hexametro posita aliis verbis redditur in pentametro his locis:

5, 3, 4: Te nascente novum Parcae cecinere puellis
Servitium et dederunt regna superba tibi.
5, 15, 16: Sed potius valida teneamur uterque catena,
Nulla queat posthac nos solvisse dies.

Atque generali sententiae subjicitur eiusdem specialis enuntiatio:

3, 19, 20: Nunc sine me sit nulla Venus, sed lege Dianae,
Caste puer, casta retia tange manu.
4, 17, 18: At nunc tota tuast, te solum candida secum
Cogitat, et frustra credula turba sedet.

Quo in loco, quod haud raro invenitur apud Tibullum, membrum prius in duas partes divisum habes. — Denique specialis sententia absolvitur generali idem gravius repetente his versibus:

6, 11, 12: Nec possit cupidos vigilans deprendere custos,
Fallendique vias mille ministret Amor.

Sed fateor, in his elegiis parallelismi formam illam infinitivis, qui eodem loco in fine utriusque versus leguntur, exornatam, qua sententias similes iam sono efferre vult poëta,[2]) me non invenisse nisi hoc loco:

3, 9, 10: Quidve iuvat furtim latebras *intrare* ferarum
Candidaque hamatis crura *notare* rubis,

quamquam concedendum est, hoc loco de parallelismo vero dici non posse. — Quo fit, ut inter se optime congruere, quod attinet ad parallelismum membrorum, haec carmina libri IV et elegias primi alteriusque luculenter appareat.

Jam vero simplicitas sermonis Tibulliana maxime eo cognoscitur, quod ornamenta, quibus illustratur atque exornatur sermo, velut figuras, comparationes, fere omnia sprevit simplicissimisque tantum usus est. Qua in re nihil interest inter elegias, de quibus agitur, et librorum I et II carmina. Quae maxime ex iis usurpavit, aeque hic atque illic inveniuntur. Neque enim quod saepius in libris I et II participium verbo adjunctum legis hunc in modum: nox venit vigilanda (I, 2, 76), scelerata sedes iacet abdita (I, 3, 67) deest carminibus libri IV.[3]) Invenis enim IV, 3, 22: „incidat in saevas diripienda feras“, IV, 6, 4: „staret conspicienda“. Neque iteratio notionis eiusdem illa deest libri IV elegiis, quod vides ex *4*, 23, 24 (laetus—laetus), *4*, 18, 25 (turba—turba). Substantiva similia deinde,

---

1) cf. Dissen, l. c. p. CXXXVI.
2) cf. Boltzenthal, l. c. p. 13.
3) cf. Boltzenthal, l. c. p. 10 et p. 11.

quae in eodem disticho in libris I et II saepissime admittuntur, in eodem disticho leguntur *4*, 5, 6 (artus—membra).

Ad maximam simplicitatem adspirasse poëtam, ea quoque re declaratur, quod sententias exemplis et mythicis et a natura petitis illustrare respuit.[1]) Atque quum in elegiis libri IV duo comparationis exempla insint, libris primo et altero octo praebentibus, similitudinem mirificam vides. Jam sequuntur loci, qui spectandi sunt:[2])

I, 5, 3: Namque agor, *ut* per plana citus sola verbere turben.
I, 5, 45: *Talis* ad Haemonium Nereis Pelea quondam
Vectast frenato caerula pisce Thetis.
I, 6, 53: Attigeris, labentur opes, *ut* volnere nostro
Sanguis, *ut* hic ventis diripiturque cinis.
II, 5, 9: *Qualem* te memorant Saturno rege fugato
Victori laudes concinuisse Jovi.
IV, 2, 13: *Talis* in aeterno felix Vertumnus Olympo
Mille habet ornatus, mille decenter habet.
IV, 6, 17: Uritur, *ut* celeres urunt altaria flammae,
Nec liceat quamvis, sana fuisse velit.

Atque forma harum comparationum quam similis! Particula enim *ut* exempla illa a natura petita, quae e mythologia, quam dicunt, sumpsit, voculis ‚*talis*' ‚*qualis*' cum priore sententia conjunguntur. Propterea quum imitator quam diligentissimus omnibus vestigiis eius, quem imitatur, non possit insistere, sed in rebus minimis saepius inveniatur alius, hac re quam luculentissime apparere mihi videtur, ab uno eodemque poëta et carmina, de quibus agitur, et elegias librorum primi alteriusque esse scripta.

Restat, ut de conformatione, quae invenitur apud Tibullum, uberius dicatur.[3]) Atque dicendum est, personarum fictionem, quam invenis apud Tibullum, non esse arcessitam; immo notiones illae, quae conformatione afficiuntur, ultro sese offerunt prosopopoeiae. Quod facile e notionibus, quas enumero, colligitur. Quapropter hac quoque re cognoscitur simplicitas illa Tibulliana. Atque deos vel homines intelligi vult poëta Lunam (I, 8, 21, II, 4, 18), Solem (II, 5, 60, II, 5, 75, II, 3, 56) Poenam (I, 9, 4) Pacem (I, 10, 45, 67), Spem (I, 1, 9, II, 6, 19), Mortem (I, 1, 70, I, 3, 4 et 5), Januam (I, 2, 7), Noctem (2, 1, 87), Somnum et Somnia (II, 1, 90), Decorem (IV, 2, 8). Igitur prosopopoeia eodem modo in libro IV usurpata est atque in libris primo et altero. Notionem enim decoris facile cogitatione tibi fingis deum, praesertim quum in eis, quae antecedunt, de

---

[1]) cf. Boltzenthal l. c. p. 9. — cf. Dissen, l. c. p. CLXXVII.

[2]) non rationem habeo locorum: I, 4, 17, I, 4, 29, I, 4, 63, II, 4, 8—10, in quibus exempla sine coniunctionibus adduntur.

[3]) cf. Dissen l. c. p. CLXXVIII.

Amore deo dicatur. — Atque simplicissimo artificio assecutus est poëta, ut notionibus illis dei vel homines significentur. Commemorantur enim, ut Lunam et Solem deos intelligas, currus (I, 8, 21), equi (II, 4, 18, II, 3, 56, II, 5, 60, II, 5, 75); id, quod aeque in Noctem cadit (II, 1, 87). Sequitur, ut dicatur, corporis membra attribui his notionibus: Poenae pedes (I, 9, 4), Paci sinus (I, 10, 67), Morti caput et manus (I, 1, 70, I, 3, 4 et 5), Somno alas, Somniis pedes (II, 1, 90). Denique Pacem (I, 10, 45), Spem (I, 1, 9, II, 6, 19), Januam (I, 2, 7), Decorem (IV, 2, 8) facere ea dicit, quae ab hominibus aguntur.

Atque hoc loco commemorandum esse videtur, Amorem deum saepius in carminibus illis, quae posteriore tempore composuit, inveniri quam in prioribus, in quibus notio amoris saepius usurpatur. Nam in carminibus, quae primo [1]) composuit Tibullus, Amor deus semel legitur, substantivo amoris decies usurpato. In elegiis, quae Deliae amorem canunt, sexies Amorem deum habes; substantivo amoris undevicies utitur poëta. Quibuscum congruunt elegiae, de quibus agitur, quum inter decem locos, in quibus „amor“ commemoratur, quater hac notione deus significetur. In libro altero, restat, ut commemoretur, inter locos quatuordecim decies Amorem deum inveniri.

Quod dici non potest de notionibus illis, quas in prioribus enumeravi, quamquam in carminibus Nemesin canentibus paulo saepius poëta utitur prosopopoeia, quum octies inveniatur in hoc libro, quam in elegiis, quae e Maratho et e Delia nominantur. Nam in his elegiis quaterna habes exempla conformationis.

Atque poëtam prosopopoeia deposita substantivo paulo post sensu vulgari uti aut substantivo, quo sensu vulgari usus est, deinde personam significare, e I, 8, 47 et I, 10, 45 colligi potest. Nam priore loco notioni aetatis tardi pedes attribuuntur; I, 10, 45 Pacem quamquam deam habemus, paulo post ablativus, qui legitur „pace“, de tempore dicitur. Simili modo L. Mueller I, 10, 33 et II, 4, 17 interpretari mihi videtur, quum substantiva et mortis et solis literis minutis scribat. Sed si comparaveris locum priorem cum I, 9, 4, II, 1, 90, nonne putas, substantivum mortis litera grandi esse scribendum? Nec minus sol deus esse videtur II, 4, 17, praesertim cum „Luna“ (litera grandi) scribendum sit. — Haec hactenus.

Quum in prioribus intellexerimus, eisdem modis quibus in libris primo et altero in universum simplicitatem sermonis atque perspicuitatem effici in elegiis, de quibus agitur, iam demonstrandum

---

1) sententiam, quam protulit W. Teuffel (Studien p. 365) sequor; aliter de hac re iudicat Baehrens (Tibullische Blätter, Jena 1876, p. 23.)

est, aeque hic atque illic vigorem sermonis esse exortum. Neque, si memineris, Tibullum naturam ducem secutum respuisse orationem calamistris inurere, miraberis, eum hac in re simplicissimis uti subsidiis.

Ac primum quidem dicendum esse videtur de anaphora, qua neminem saepius usum esse quam Tibullum Dissen testatur.[1] Quae cum in libris primo et altero et in divisionibus et in repetitionibus sententiarum insit, quas in prioribus commemoravimus, iure exspectamus, fore, ut similitudines in elegiis, de quibus agimus, inveniantur. Neque spe destituimur, id quod colligis ex his locis: IV, 2, 5, 7, ibid. 11, 12, IV, 3, 12, 13, IV, 4, 13, IV, 3, 15, 17 (19). — Atque anaphora in amplificatione sententiarum videtur esse usurpata hoc loco: IV, 4, 23.

Deinde commemorandum est, Tibullum operam dedisse, ut alteri sententiae alteram opponeret.[2] Quo maxime efficitur, ut vigor ille sermonis exsistat. Igitur, si hoc artificium in quarti libri elegiis non invenis, a Tibullo scriptae esse non possunt. Sed tantum abest, ut raro disticha singula vel distichorum partes sententiis oppositis connectat, ut in carmine tertio nullo nisi hoc artificio transitus, qui dicitur, fiat. „Parce meo iuveni, aper, incolumem mihi servet eum Amor. Sed preces meae sunt irritae, nam Delia eum abducit venandi cura. Stultitiae est venatum ire, sed, si tecum liceret, Cerinthe, vagari, tamquam serva canibus rebusque venatoriis praeesse non dubitarem. Tunc amarem silvas saltusque neque recusarem, quin tecum concumberem. Sed nunc sine me sit nulla Venus; quaecunque meo amori furtim subrepit, in saevas feras incidat. At tu quam celerrime in sinus nostros recurras quaeso." Enumerantur ceteri loci:

2, 3: Hoc Venus ignoscet: at tu, violente, caveto.

4, 21, 22—17, 18: Nil opus est fletu: lacrimis erit aptius uti,
Si *quando* fuerit tristior illa tibi.
At *nunc* tota tuast, te solum candida secum
Cogitat, et frustra credula turba sedet.

5, 9, 10—11, 12: Magne Geni, cape tura libens votisque faveto,
Si modo, cum *de me* cogitat, ille calet.
Quod si forte *alios* iam nunc suspirat amores,
Tunc precor infidos, sancte, relinque focos.

5, 13, 14. — *5*, 17, 18—19, 20. — *6*, 5, 6; *6*, 7, 8; *6*, 15, 16.

Haec hactenus.

Sequitur vero, ut dicatur, quae annotavit Dissen (l. c. p. CXLVIII) de apostropha, non cadere in elegias libri quarti non-

[1]) cf. Dissen, l. c. p. CLI.

[2]) cf. Dissen, l. c. p. CXXXIII. — Boltzenthal, l. c. p. 13.

nullas. Is enim commemorat, Tibullum apostrophen continuare non amasse, sed tertia persona interposita orationem variasse. Jure enim iudicasse Tibullum, apostropha nimis diu continuata vim orationis non augeri, sed frangi; quare apostrophen ter usurpatam rarius legi. Sed carminis quarti initium quam alienum sit ab eis, quae disseruit Dissen, videas: „Huc ades et expelle, huc ades, Phoebe. Crede mihi, propera: nec te pigebit. Effice. Sancte, veni tecumque feras. Neu iuvenem torque.“ In carminibus quoque 3 et 5 liberior apostrophes usus invenitur quam in libris primo et altero. Quod tibi non mirum esse videbitur, si spectaveris ad argumenta horum elegidiorum plane a libris primo et altero alienorum. Nam in carminibus quarto et sexto habes precationes, quae fiunt ad deos, ad Apollinem et ad Junonem. Atque eum, qui preces faciat ad deos, non tertia persona, sed secunda uti, ex ipsa rei natura sequitur. Neque puellam, quae optet amato et ominetur in diem natalem laeta, loqui altera persona, mirum est. Jam carmina 2 et 3 hac in re a Tibulli ratione dicendi vulgari non recedunt neque leges illae, quas Dissen teste sibi imposuit poëta, sunt violatae. Quae quam vera sint, cognosci potest ex carminis tertii versibus his:

„si, lux mea, tecum
Arguar ante ipsas concubuisse plagas:
Nunc sine me sit nulla Venus, sed lege Dianae,
Caste puer, casta retia tange manu:
Et quaecumque meo furtim subrepit amori,
Incidat in saevas diripienda feras.
At tu venandi studium concede parenti,
Et celer in nostros ipse recurre sinus.“

Jam de alio artificio, quo nervosiorem reddit Tibullus sermonem, agendum est. Atque quum subjectum in fine versus ponere amet poëta, ille, qui carmina legit, quia subjectum in fine est positum, ad eas enuntiationis partes, quae sunt levioris momenti, animum magis attendit.[1]) Quod non faceret, si subjectum, gravissimum enuntiationis membrum, in versus initio esset positum. Quo fit, ut oratio non langueat. Qua re quum carmina, de quibus agitur, paria inveniantur librorum primi alteriusque elegiis, ab eodem poëta profectus esse videtur liber quartus atque primus et alter.

Quae modo de collocatione subjecti commemoravi, non solum de singulis hexametris et pentametris, sed etiam de enuntiationibus illis, quae ex hexametris constant et pentametris, dicta sunt. Quae subjectum praebent in fine pentametri his locis:

IV, 2, 6, IV, 2, 8, (IV, 3, 2), IV, 3, 18, I, 8, 18, I, 7, 20,

---

1) cf. Boltzenthal, l. c. p. 13.

(I, 1, 20), I, 5, 46, (I, 6, 2), II, 1, 62, II, 3, 18, II, 3, 20, II, 3, 72.

Quibus adjungo enuntiationes illas, quae medio hexametro ordiuntur:

I, 10, 20, I, 3, 44, I, 3, 48, (II, 3, 30), II, 6, 12, I, 10, 50, I, 3, 12, I, 3, 60, I, 3, 46.

Jam enumerantur pentametri illi, qui unam sententiam efficientes subjectum ultimo versus loco praebent. Atque ex locis illis, quos sum enumeraturus, nonnulli subjectum monstrant adjectivo in altero pentametri hemistichio posito. Sequitur, ut commemoretur, nonnumquam pentametrum esse sententiam, quam dicunt, secundariam. Denique enuntiatio in locis paucis non a primo pentametri vocabulo orditur. Atque loci, qui sunt spectandi, hi sunt:

IV, 6, 12, IV, 11, 2, I, 4, 24, 40, 64, 76, I, 9, 34, 58, I, 8, 28, I, 7, 4, I, 1, 64, I, 3, 42, 64, I, 5, 58, 60, I, 2, 2, 24, I, 6, 14, 32, II, 1, 12, II, 3, 4, 14, 68, II, 4, 4, 8, 52 (54), II, 5, 58, 84, 88, 106, II, 6, 22, 24.

Sequitur, ut dicatur, haud ita parvum esse numerum pentametrorum, in quibus subjectum ostenditur adjectivo in caesura vel in priore pentametri parte posito:

IV, 4, 6, I, 4, 28, II, 3, 8, II, 5, 26, II, 4, 32. — IV, 5, 16, IV, 6, 20, I, 4, 32, I, 4, 58, I, 9, 20, I, 8, 52, I, 8, 56, I, 10, 4, I, 1, 6, I, 3, 20, I, 5, 4, I, 6, 76, II, 1, 6.

Neque minus saepe in hexametris, qui unam efficiunt sententiam, subjectum ultimo versus loco legitur. Atque ex locis illis, quos sum recensurus, nonnulli ostendunt subjectum adjectivo:

IV, 6, 11, I, 4, 37, I, 8, 69, I, 7, 29, I, 1, 13, I, 3, 41, II, 3, 47, II, 5, 15, 25, 107, 121, II, 6, 37. —

In omnibus, qui commemorabantur, locis subjectum ultimo versus loco habes. E multitudine locorum facile colligitur, Tibullum amasse subjectum in fine enuntiationis ponere. Quod quam verum sit, probatur numero sententiarum haud ita parvo, in quibus subjectum, quamquam non ultimo loco invenitur, tamen verbum ab ultimo proximum vel tertium est. Atque hic quoque ordiendum est ab enuntiationibus hexametro et pentametro effectis, e quibus studium Tibulli illud subjectum in enuntiationis fine ponendi maxime cognoscitur. Loci sunt hi:

IV, 2, 18, IV, 2, 20, IV, 4, 8, I, 4, 80, I, 4, 44, I, 9, 8, I, 9, 10, I, 9, 54, I, 7, 8, I, 7, 16, I, 7, 18, I, 7, 22, I, 7, 36, I, 10, 38, I, 3, 40, I, 3, 74, II, 1, 90, 76, II, 3, 44, II, 4, 40, II, 5, 36.

In singulis pentametris, qui unam reddunt sententiam, proximum vel tertium ab ultimo verbum est subjectum locis his:

IV, 2, 24, IV, 5, 6, IV, 6, 2, I, 9, 16, I, 8, 4, I, 10, 64, I, 1, 18,

I, 1, 42, I, 1, 52, I, 5, 48, I, 5, 56, I, 2, 18, II, 5, 82, I, 2, 74, II, 1, 20, II, 1, 26, II, 1, 44, 46, II, 3, 22, II, 1, 78, II, 3, 24.

Atque in hexametro iam orditur enuntiatio locis his:

I, 8, 62, I, 10, 10, I, 10, 40, I, 3, 28, I, 3, 62, I, 5, 44, I, 2, 42, I, 2, 62, II, 3, 60, II, 5, 34, II, 5, 60, II, 1, 26, II, 1, 48. —

Neque minus saepe subjectum illis versus locis in hexametro invenitur:

IV, 3, 5, IV, 4, 25, I, 4, 29, I, 4, 57, I, 7, 51, I, 3, 3, I, 2, 11, II, 1, 15, II, 3, 23, II, 5, 45, 47, 85.

In enuntiationibus quoque intra hexametrum finientibus restat, ut commemoretur, subjectum saepius ultimo loco legi:

IV, 3, 19, IV, 7, 5, I, 1, 73, I, 3, 61, II, 1, 5, I, 7, 9, I, 10, 15.

Deinde adde, quod nusquam longiores periodos habet Tibullus. Atque ea, quae de hac re in prioribus, quum ageretur de sermonis simplicitate, disserui, huc quoque esse referenda, clarum est.

Huc spectat collocatio quoque adjectivorum in pentametris illis, in quibus duo substantiva cum adjectivis conjuncta legis.[1]) Adjectiva enim, quae per se intelligi non possunt, quum in priore versus parte ponat poëta, efficit, ut altera, in qua substantiva insunt, non langueat. Substantiva enim gravioris momenti sunt sententiae quam adjectiva. Si adjectiva in altera pentametri parte legerentur, substantiva in priore, priore pentametri parte perlustrata iam legentes scirent, quid sibi voluisset poëta.

Jam formas, quae duorum substantivorum et attributorum compositione evadere possunt, non omnes usurpavit, sed certo tantum numero usus est. E viginti quattuor vel quinque versuum formis a poëtis elegiacis usurpatis apud Tibullum decem inveniuntur.[2]) Neque ex iis omnes a Tibullo amantur. Saepissime enim quum inveniantur apud Tibullum formulae b | β α a,[3]) b β | a α, b | α β a, rarissime legis ceteras, formula b β | α a omissa, quae sedecies usurpatur. Igitur, si libri quarti elegiae re vera a Tibullo sunt scriptae, formas illas, quae a Tibullo amantur, in eis inveniri necesse est. Atque res ita sese habet. Formam enim b | β α a habes in his pentametris: IV, 2, 24; 3, 14; 4, 6, 14; 6, 2. — Neque minus ea collocatio, qua

---

1) Boltzenthal, l. c. p. 11.

2) cf. Gebhardi, „de Tibulli, Propertii, Ovidii distichis quaestionum elegiacarum specimen", Regimonti 1870.

3) litera a significatur prius substantivum,
b attributum, quod cum priore substantivo conjunctum est,
α alterum substantivum,
β alterum adjectivum,
| caesura.

adjectivum adjectivo disjungitur a substantivo, ut primum locum adjectivum vel participium prioris substantivi teneat, alterum alterius substantivi, quo plerumque versus finitur, adjectivum, est in libri quarti carminibus: IV, 3, 10, IV, 2, 20. — Restat, ut dicamus, formulam b | α β a, quae tertio loco commemorabatur, bis inveniri his locis: IV, 2, 22, IV, 4, 2. — Praeter hoc locos in elegiis, de quibus agitur, non legis pentametros, in quibus duo substantiva cum adjectivis conjuncta sunt.

Igitur septimam partem pentametrorum in elegiis quarti libri habere substantiva duo cum adjectivis conjuncta invenies, si tecum reputaveris, sexaginta et duos hexametros elegiacos in his elegiis esse. Atque in primo libro quinta, in altero quinta vel sexta pars pentametrorum huc referenda esse videtur. — Quae cum ita sint, noli putare, elegias quarti libri hac in re recedere a ceteris, quae a Tibullo sunt compositae. Elegiae enim, de quibus agimus, prorsus congruunt cum carminibus librorum primi et alterius, si libri secundi elegiam alteram, quam cum libri quarti carminibus conjungendam esse dictum est in prioribus, iis adjungimus. Nam quum in hac elegia quattuor pentametri, in quibus insunt duo substantiva cum adjectivis conjuncta, inveniantur, quorum quisque aliam sequitur normam, formae illae tres, quae Tibullo erant maxime in deliciis, exemplis illustrantur. Nam versum sextum:

,cui decorent sanctas mollia serta comas'

ad normam b | β α a,
decimum quartum:

,fortis arat valido rusticus arva bove'

ad b β | a α,
vicesimum alterum:

,ludat et ante tuos turba novella pedes'

ad b | α β a formatum vides. Quartus:

,quos tener e terra divite mittit Arabs'

hanc figuram b α | β a sequitur, quae hoc tantum loco usurpatur a Tibullo. — Igitur, si haec elegia conjungitur cum ceteris, quae Sulpiciae amorem canunt, quarum quodam modo finis est et consummatio, quinta vel sexta pars pentrametrorum harum elegiarum huc referenda est, ita ut nullum discrimen inter quarti libri et librorum primi alteriusque carmina interesse videas, quum par fere numerus hexametrorum elegiacorum et hic et illic habeat duo substantiva cum adjectivis conjuncta.

Sequitur, ut paucis verbis dicatur, quomodo factum sit, ut in elegiis libri IV versus, de quibus agimus, ad formas tantum usitatissimas b | β α a (5, 6), b β | a α (2, 3), b | α β a (2, 3) facti inveniantur,

quum in primo libro praeter has formulas sex aliae usurpatae sint a Tibullo.

Neque has formas, quae, cum rarius usurpentur, a Tibullo minus amatae esse videntur, elegiis, de quibus agimus, deesse mirum est, quum quarti libri carmina politissima arte sint exornata. Nam Tibullus multa, quae sibi iuveni permiserat, posteriore tempore evitavit, quum summam artem esset assecutus. Quae quam vera sint, inde cognosci potest, quod in primo libro viginti quattuor versibus ad sex schemata ab illis usitatissimis diversa factis in altero octo tantum inveniuntur pentametri, qui ad quattuor normas ab illis diversas sunt constructi. Videmus igitur numerum pentametrorum ad alias normas factorum minui in altero libro, qui post primum est conscriptus. Huc accedit, quod ultima huius libri carminibus deest lima, ita ut suspicemur, poëtam hac quoque in re nonnulla fuisse mutaturum, si extremum perpoliendi operi laborem adhibuisset.

Sed hoc mittamus et videamus, partesne carminum Tibullianorum harum formularum usu inter se discrepent. Atque in elegiis libri IV normam b | β α a versus duodecimus, formulas b β | α a et b | α β a tricesimus primus quisque sequitur. In libro primo versus duodevicesimus quisque ad formulam primam et tertiam, vicesimus septimus quisque ad normam alteram factus est, in altero libro decimo quinto quoque versu ad primum, vicesimo primo ad alterum, vicesimo septimo quoque ad tertium schema constructis. — Deinde notandum est, in libro primo, ut iam diximus, decimum septimum quemque versum, in altero vicesimum septimum aliis atque illis normis teneri. Quae cum ita sint, haec quaestio ad talem exitum pervenit, qualem saepe habent quaestiones illae a Zingerle[1]) institutae. Elegias enim quarti libri medium quendam locum inter libros primum et alterum obtinere videmus. Nam in omnibus carminum Tibullianorum partibus saepissime usurpatur b | β α a. Sed in primo libro formula b | α β a eodem numero atque b | β α a usurpata, in elegiis libri quarti formula b | α β a a loco, quem illic obtinet, recedit, quia hic formula b | β α a et huius et ceterorum schematum, quibus uti Tibullum praeter usitatissima illa in prioribus videbamus, suscepit partes. Formula autem b β | a α et hic et illic raro usurpata est. Liber alter, in quo primum locum obtinere formam b | β α a iam diximus, magis favet formulae b β | a α, neglecto aeque atque in elegiis libri IV schemate b | α β a. Quae cum ita sint, jure dici potest,

1) Zingerle, „Bemerkungen zu den Sulpiciaelegien des Tibullus“, kl. philol. Abhandl. I. p. 22. — Zingerle, „Weiteres zu den Sulpiciaelegien des Tibullus,“ kl. philol. Abhandl. II.

medium quendam locum inter librum I et II obtinere elegias libri quarti.

Restat, ut de alio remedio, quo pentametri vim auget Tibullus, pauca dicantur. Atque si pentameter est apodosis sententiae causalis vel conditionalis, quae in hexametro legitur, pentametri vim pronominibus ‚ille' ‚ipse' in hoc versu positis augere amat poëta.[1]) Quae in elegiis libri IV quater, in elegiis, quas primo composuit, (I, 7, 10, 4, 9, 8) novies, in carminibus Deliae amorem canentibus septies, in libro altero octies sic usurpantur.[2]) Atque commemorandum esse videtur, saepius non tam, ut vim vere augeat, quam ut versum compleat, poëtam iis uti. Ubique duobus versibus (IV, 3, 24, I, 4, 68) exceptis pronomina illa sic ponuntur in versu, ut in altero pentametri hemistichio arsin et priorem thesis partem alterius dactyli efficiant. Atque IV, 3, 24 et I, 4, 68 haec pronomina in arsi et priore thesis parte prioris dactyli alterius hemistichii leguntur.

Pentametro ut pondus quoddam afferat, non solum pronomina, de quibus dictum est, sed etiam adjectiva in hoc versu collocat. Qua in re versus solum enumero, in quibus adjectivum sententiae non necessarium esse videtur, sed sententia manente deesse potest. Atque in elegiis quarti libri adjectivum bis, quater in libri primi elegiis 7, 10, 4, 9, 8, duodecies in carminibus, quae Deliae amorem celebrant, quater in libro altero sic usurpatur.[3]) Quaterdecies adjectivum in versu sic ponitur, ut primo post caesuram loco legatur; quorum in numero sunt duo loci libri quarti. In locis I, 9, 78, I, 5, 18, I, 5, 20, I, 6, 46 adjectivum ante caesuram habes. Deinde similitudine sunt conjuncti versus I, 6, 60, I, 2, 32, in quibus idem adjectivum eodem versus loco usurpatur. — I, 3, 32 et I, 2, 98 adjectivum diversis versus locis invenitur. Haec hactenus.

Jam singula sequamur.

Atque praepositionum, particularum, conjunctionum collocatio in libri IV elegiis saepius a vulgari harum vocularum positione recedit. Sed quum saepissime in libris I et II eodem modo sint positae hae voculae, optime hac in re elegiae, de quibus agitur, cum

---

[1]) cf. Boltzenthal, l. c. p. 13. — Dissen, l. c. p. CLXIV.

[2]) Loci enumerantur:
4, 2, 2, 4, 3, 24, 4, 4, 22, 4, 5, 10. — 1, 4, 52, 1, 4, 68, 1, 4, 72, 1, 9, 40, 1, 8, 48, 1, 10, 2, 1, 10, 6, 1, 10, 34, 1, 10, 60. — 1, 2, 56, 1, 2, 58, 1, 5, 18, 1, 5, 66, 1, 6, 16, 1, 6, 66, 1, 6, 70. — 2, 1, 70, 2, 3, 26, 2, 3, 74, 2, 4, 26, 2, 4, 36, 2, 4, 60, 2, 5, 18, 2, 6, 42.

[3]) 4, 2, 12, 4, 4, 24, — 1, 9, 38, 1, 9, 56, 1, 9, 78, 1, 10, 58, — 1, 3, 16, 1, 3, 30, 1, 2, 66, 1, 2, 70, 1, 6, 6, — 2, 1, 50, 2, 4, 22, 2, 4, 42, 2, 6, 40. Huc adde locos, qui supra commemorantur.

ceteris congruunt.[1]) — Sequitur, ut pauca dicantur, quo modo particulis nonnullis sit usus Tibullus. Et primum quidem de particulis ‚que' et ‚et' agendum est. Atque discrimen apud Tibullum inter has voculas interesse Lierse teste[2]) constat. Particula enim ‚et' nihil efficitur, nisi ut enuntiationis partes, quae conjunguntur hac particula, componantur, ita, ut neutra propriam vim amittat, enuntiationis membris vocula ‚que' multo artiore vinculo conjunctis. Quae vera esse locis e libro primo alteroque desumptis comprobat Lierse. Quae cum ita sint, libri IV elegiae, si re vera a Tibullo scriptae sunt, hac in re cum ceteris congruant, necesse est. Atque rem ita sese habere, vides e locis his: *2*, 22, *4*, 2, *4*, 10, — *4*, 9, *5*, 8, *5*, 9, *6*, 13, *7*, 4. Atque ut ad singula veniamus, particulae ‚que' et ‚et' saepius usurpantur, ut membra distichorum bipartitorum connectant hoc discrimine, ut particula ‚et', si totum e membris vi paribus evadat, vocula ‚que' utatur poëta, altero membro amplificationi, de qua in prioribus dictum est, inserviente. Quam legem non ubique a poëta esse observatam, Lierse ipse concedit. Atque dicendum est, saepius fieri, ut dubitari possit, utrum sententiam in duas partes diviserit poëta an prius membrum altero amplificaverit. Jam sequantur libri IV loci, in quibus particula ‚que' posita priorem sententiam altero membro amplificare poëta videtur: *3*, 10, *4*, 12, *6*, 12. — Atque sententiam particula ‚et' posita a poëta in duas partes divisam esse, equidem puto his locis: *3*, 14, *3*, 24, *4*, 26. — Restat, ut commemorentur loci, de quibus iure dubitari possit, utrum poëta sententiam in duas partes dividere an amplificare habuerit in animo: *4*, 18; *5*, 4. Mea quidem sententia in his locis sententiam priorem amplificare vult poëta. Quae cum ita sint, in elegiis libri quarti, ut distichorum membra connectantur, particulas ‚et' et ‚que' aeque usurpari videmus atque in libris primo et altero. Atque intuearis velim, hic quoque legem illam non ubique (*4*, 18; *5*, 4) observari, quo fit, ut similitudo, quae inter librum quartum et primum alterumque intercedit, evidentior esse videatur. Jam vero quod observavit Lierse, particulam ‚et' multo saepius ad tota disticha connectenda usurpari quam voculam ‚que', optime ad elegidia libri IV quadrat. Poëta enim particula ‚et' ter uso (*2*, 19, *3*, 21, *4*, 7) semel tantum invenitur

---

[1]) Locos libri IV, qui spectandi sunt, enumero:
4, 2, 19, 4, 2, 23, 4, 5, 7.
4, 4, 10, 4, 4, 26. — 4, 6, 18, 4, 6, 19, 4, 7, 6, 4, 6, 4.

[2]) cf. Lierse: „Ueber die Unechtheit des dritten Tibullianischen Buches nebst einer Untersuchung über die Conjunctionen des Tibull und Lygdamus." Bromberg 1875. p. 21.

vocula ‚que'. (2, 17). Atque si examinaveris, quomodo hoc loco particulam ‚que' usurpaverit poëta, invenies, locum, de quo agimus, a dicendi consuetudine Tibulli non abhorrere, qui hoc in versu particula ‚que' utitur, ut artius cum enuntiatione priore proximam connectat, praesertim cum verborum constructio longius producatur. Neque in libri IV elegiis particulae ‚que' et ‚et' negationi longius producendae inserviunt. Nam ‚que', quod legitur 4, 3, 10, ab hac lege non recedit, cum negationi suppositum non nisi enuntiationis partes connectat.[1])

Sequitur, ut dicatur, particulas ‚nec' ‚ve' ‚at'[2]) ceteras, e conjunctionibus, quibus enuntiatio altera alteri subjungitur ‚quum' (IV, 4, 23; 6, 19; 2, 5; 5, 10), ceteras, quas legis in libro IV, eodem modo usurpatas esse quo in libris I et II. Locus IV, 5, 9 solus, in quo ‚si modo' cum indicativo construitur, a dicendi usu Tibulliano recedere videtur, quum I, 2, 71, II, 4, 59 ‚si modo' cum conjunctivo legatur.[3]) Sed si accuratius comparas IV, 5, 9 cum I, 2, 71, II, 4, 59, indicativum poëta recte posuisse videtur, quum illud dicere velit Sulpicia, se non gaudere nisi re et veritate ametur a Cerintho. Neque minus recte conjunctivum I, 2, 71, II, 4, 59 posuit, quum ea, quae insunt in his enuntiationibus, animo tantum sibi fingat poëta.

Deinde Zingerle haud pauca attulit, quibus a Tibullo elegidia libri IV scripta esse comprobetur. Qui ostendit, adjectiva nonnulla,[4]) pronomina ‚quisquis' ‚quicumque', imperativum futuri, verba impersonalia, „piget, pudet, iuvat, decet, taedet" aeque et saepius iisdem versus locis in libri quarti elegidiis atque in libris I et II usurpari.

Denique commemorandum est, transitum, qui in versibus et 6, 7 et 8, 9 carminis 5 libri IV sic paratur, ut ab illis verbis, qui in fine pentametri leguntur, ordiatur hexameter distichi proximi, in libris I et II eodem modo effici locis his:

II, 5, 6: „ad tua sacra veni.
Sed nitidus pulcherque veni."
II, 5, 30: „fistula sacra deo,
Fistula cui semper decrescit arundinis ordo."
I, 1, 38, 39: „dona nec e puris spernite fictilibus.
Fictilia antiquus primum sibi fecit agrestis."

---

1) cf. Lierse, l. c. p. 25.

2) de particula ‚at' uberius dixit Zingerle „Weiteres zu den Sulpicia-elegien des Tibullus," kl. philol. Abhandlungen. II.

3) cf. Lierse, l. c. p. 34.

4) Adjectiva, de quibus quaestionem instituit, sunt haec: „tener", „sanctus", „celer", „mutuus", „celeber" (cf. Kleemann: „de libri tertii carminibus, quae Tibulli nomine circumferuntur." Argentorati 1876, p. 39), „aptus."

I, 2, 6, 7: „Clauditur et dura ianua firma sera.
Janua difficilis dominae.“
I, 3, 4, 5: „abstineas avidas, Mors precor atra, manus.
Abstineas, mors atra, precor.“

Similiter transitus fit I, 1, 23, I, 4, 54, 55.

Jam quaerendum est, easdemne leges in re metrica poëta in libri quarti elegiis sequatur atque in libris primo et altero. Atque primum quidem elegantia et diligentia, quibus Tibullus in caesuris ponendis est usus, in elegidiis libri IV eaedem sunt.[1]) Quod eo minus negligendum esse videtur, quo maior Lygdami hac in re est infirmitas, qui quattuor versibus exceptis nulla nisi semiquinaria utitur caesura. Atque in carminibus illis Deliae amorem canentibus, quae in ipso et aetatis et poësis flore composuit, hephthemimeren in tertia fere omnium versuum hexametrorum parte usurpavit. Idem fere numerus hexametrorum semiseptenaria in alterius libri carminibus inciditur. Nam quamquam carmina 3 et 5 paulo minorem praebent hexametrorum numerum, in quibus caesura semiseptenaria est, tamen in elegiis 1, 4, 6, quae ex hexametris 102 constant, 31 hexametros hoc modo formavit poëta. Quibuscum carminibus si comparabis libri IV elegidia 2—7, quae inter 62 hexametros 15 habent hephthemimera incisos, quae similitudo inter haec carmina atque ea, quae modo enumerabantur, intercedat, vides. Atque haec similitudo maior fit, si cum eis libri alterius carmen 2 conjungis. Quod si feceris, inter hexametros 73 semiseptenaria 20 sunt incisi, ita ut his quoque in elegiis tertiam fere partem hexametrorum habere hephthemimeren videas. In carminibus a Tibullo adolescente compositis hephthemimeren paulo rarius usurpari, restat, ut dicatur.

Atque hac in re commemorandum esse videtur, hephthemiren, quae et hic et illic cum trithemimera fere conjungitur, cum in libris I et II tum in quarto rarius conjunctam cum penthemimera esse.

Neque quod IV, 6, 13 hephthemimeres sola adest, a Tibulli arte metrica alienum est, quum saepius hephthemimeres sola legatur in carminibus librorum I et II.[2])

---

[1]) cf. Krafft, l. c. p. 18.

[2]) cf. Eichner: Bemerkungen über den metrischen und rhythmischen Bau, sowie über den Gebrauch der Homoeoteleuta in den Distichen des Catull, Tibull, Properz und Ovid. Gnesen 1875, p. 9.

Quam usurpavit diaeresin in ‚solvere', „v" vocali posita,[1]) eandem habes in libris I et II. Quam legis synaeresin vocularum ‚cui' IV, 6, 6, alicui IV, 7, 2, cuiquam IV, 6, 10, eam in libris quoque primo et altero sibi concessit poëta.[2]) Atque elisio, quam habes: IV, 5, 5; 6, 3, 5. — IV, 5, 5, 11. — IV, 2, 17; 3, 3. — IV, 2, 2; 3, 10; 4, 10; 5, 4; 6, 10. — IV, 2, 14; 3, 12; 5, 2; 6, 16. — IV, 3, 16; 7, 2, eisdem versus locis invenitur in elegiis librorum I et II.[3]) Neque quod omittitur ‚est' IV, 2, 23; 6, 10, a ceteris carminibus alienum est.[4]) Legitima condicione syllaba finalis (in caesura) producta est (IV, 2, 3). Neque hac in re exempla in libris I et II desunt.[5])

Sequitur, ut de dactylorum et spondeorum et in hexametro et in pentametro mixtorum ratione agamus. Accurate de hac re disseruit Eichner.[6]) Persuasum enim habeo, quaestio illa de structura et hexametri et pentametri si instituatur in libris I et II, re vera signa et notas artis versus condendi Tibullianae posse inveniri, quibus dijudicari possit, Tibullusne libri IV carmina scripserit. Poëtae enim elegiaci Romani et in spondeis et in dactylis usurpandis certos tenent locos.[7]) Nam quum a Catullo spondeo in versibus condendis magnus concessus sit campus, Propertius in usurpandis spondeis iam ab hoc poëta recedit, qui in prioribus libris, quamquam Augusto imperante degebat, duriorem hunc numerum elegis adhibere non dubitavit. Atque Tibullus, qui paulo ante fuit, id studuit, ut spondeis multo rarius usurpatis versibus cultum adderet et nitorem. Qui superatus est ab Ovidio, qui cum cultissima quaeque in distichis pangendis sectaretur, spondei usum multo angustioribus finibus circumscripsit. Atque ut spondei usus minuitur, sic numerus et dactylorum in universum et ordinum mere dactylicorum crescit. Quo fit, ut medium quidem inter Catullum, Propertium, Ovidium, sed locum certum teneat Tibullus. Quae cum ita sint, si leges metricas, quas hac in re sequitur Tibullus in libris I et II, accuratius cognoveris, normam habebis, quacum elegias in certamen vocatas si comparaveris, dijudicare poteris, Tibulline ad leges metricas sint factae.

Atque quum hexameter cum pentametro artissime con-

1) cf. Boltzenthal, l. c. p. 3.
2) cf. Boltzenthal, l. c. p. 3.
3) cf. Boltzenthal, l. c. p. 4.
4) cf. Boltzenthal, l. c. p. 4.
5) cf. Boltzenthal, l. c. p. 4.
6) cf. Eichner: „de poëtarum Latinorum usque ad Augusti aetatem distichis quaestionum metricarum particulae duae." Vratislaviae a. 1866.
7) cf. L. Mueller, ed. Tib. praef. p. XXVII.

junctus sit in disticho, rationes, quae inter hos versus intercedunt, spectandae esse videntur. Neque hac in re non laudo sententiam, quam protulit Eichner de disticho.[1]) Quod non in duas, in hexametrum et in pentametrum, sed in quattuor partes dividendum esse putat. Quarum primam usque ad caesuram, alteram a caesura usque ad finem hexametri pertinere vult. Tertia prius, quarta alterum pentametri hemistichium complectitur. Atque hi distichi ordines, alius ad alium, inprimis prius hexametri hemistichium ad priorem pentametri partem et haec ad alterum huius versus ordinem multum valent, quum poëtae latini operam darent, ne uno eodemque sono ac rhythmo essent distichi partes. Quod cum in pentametri hemistichiis tum in utriusque versus initio facile fieri posse, intelliges, si tecum reputaveris, similitudinem, quae inter prius pentametri hemistichium et priorem hexametri partem caesura semiquinaria effectam intercedat, haud esse parvam. Atque in his versibus similitudo summa seu aequabilitas adest, si uterque ordo binis pedibus spondiacis efficitur. Sin holodactylice utriusque versus initium formatur, tantum abest, ut fieri non possit, quin aequalitas illa admittatur, ut optima praebeatur numeri versus utriusque variandi ansa. Verba enim singula sic disponi possunt, ut ordinis numerus sit aut dactylicus aut choriambicus aut trochaicus aut anapaesticus, id quod non cadit in versus mere spondiacos. Quapropter dactylos spondeis praetulisse videntur optimi poëtae latini. Praeterea aequabilitatem numeri sic evitare potuerunt, ut in initio versus alterius spondeos, in priore parte alterius dactylos collocarent. Deinde spondeos et dactylos ita inter priores utriusque versus partes disposuerunt, ut neutri hexametri pedi in pentametro responderet eiusdem generis pes.

Itaque haud abs re esse videtur, priorem hexametri partem caesura semiquinaria effectam et prius pentametri hemistichium inter se comparare atque investigare, rationesne, quae inter has distichi partes esse possunt, in libri IV elegiis similiter inveniantur atque in libris I et II. Deinde de pentametri quoque hemistichiis accuratius agendum est.

Restat, ut pauca in universum praemittantur, priusquam de eis, quae Eichner quaestionibus illis invenit, disseratur. — Arbitramur enim, discrimen statui non posse, puta si in libris I et II quarta, in elegiis libri IV quinta vel sexta pars hexametrorum normam quandam sequatur. Neque enim exspectari potest, fore, ut omni in re omnique in parte inter se congruant carmina, de quibus agitur. Vidimus enim in prioribus nec minus in eis,

[1]) Eichner, Bemerkungen, p. 1.

quae sequuntur, multis rebus librum primum ab altero recedere, probabimus. Ita, ut exemplo utar, in libro I hexametri initium constat ex duobus spondeis in octavo quoque versu, in altero contra in versu duodevicesimo quoque. Et singula eiusdem libri carmina inter se hac vel illa re discrepant. Quae quamquam ita sunt, tamen nemo a Tibullo profecta esse libri alterius carmina negavit.

Jam de hexametri structura dicendum est. Atque formula illa, qua hexametri initium constat ex dactylo subsequente spondeo et in libris I, II et in IV est usitatissima, ita ut tertius quisque hexameter et hic et illic praebeat hanc formam. Deinde duos primos pedes holodactylice formare aeque poëtae in deliciis est in carminibus, quae omnium consensu Tibullo tribuuntur atque in libro IV. Quartus enim quisque hexameter sequitur hanc normam. Atque hexametri initium duobus spondeis efficitur in libro primo octavo quoque versu, in elegiis libri IV nono quoque versu. In libro II contra duodevicesimus quisque hexameter hoc versum formandi genus praebet. Ad formulam – – – ⏑ ⏑ – in libro I inter octo hexametros, in altero inter sex vel septem (si altera libri alterius elegia ad carmina libri II accedit), in quarto inter quattuor vel quinque (si carminibus Sulpiciae amorem canentibus libri II elegiam II adnumeras) singuli sunt formati.

Itaque quum tantum absit, ut hexametri incipientis structura in rebus illis, quae sunt gravioris momenti, libri I et II recedant a quarto, ut optime congruant, mea quidem sententia non habent, cur librum IV, quia in formula – – – ⏑ ⏑ – a libris I et II paulo recedat, a Tibullo scriptum esse negent. Quae si vera essent, summo iure diceretur, librum alterum a Tibullo non profectum esse, quum formulam – – – – – in libro primo octavus quisque, in altero duodevicesimus quisque hexameter sequatur. Dixerit aliquis, hoc falso a me afferri. Versus enim duobus spondeis incipientes multo rariores esse in libro altero, quod artem formandi versus, quum carmina libri II composuerit, iam accuratius didicerit poëta. Contra aliter rem sese habere in formula – – – ⏑ ⏑ –. Nam cum in libro IV haec formula saepius inveniatur quam in libris I et II, fieri non posse, ut ab eodem poëta carmina illa scripta sint, qui elegias librorum I et II composuerit. Poëtam enim haud ita artis formandi versus peritum carmina illa composuisse. Quod ut refellamus, iam demonstrandum est, spondeum primo versus loco in carminibus libri IV poëtam consulto posuisse. — Atque vis, quam habet in enuntiatione pronomen ‚illam' IV, 2, 7, spondeo insignitur. Deinde poëtam hunc pedem dedita opera quaesivisse IV, 2, 11, intelliges, si pentametrum proximum, qui ab eodem vocabulo ‚urit' capit initium, legeris. Optime enim

vis, quam habet in enuntiationibus illis ‚urit', spondeo effertur. Simili modo spondeum in versus initio collocatum interpretor IV, 2, 21, IV, 5, 3, IV, 6, 11, IV, 7, 1, IV, 7, 3. Deinde pondus non parvum cogitationi, quae versibus IV, 4, 17 et 18 inest, sensui versuum 21 et 22 — qui recte ante versus 17 et 18 ponuntur[1] — contrariae accedit spondeo primo versus loco posito. Pari modo spondeus in versibus IV, 5, 11, IV, 7, 9, IV, 6, 7 usurpatus esse videtur. Atque in loco, quem extremum commemoravimus, memineris quaeso, haud raro in libris I et II hexametros vocabulis ‚at tu' incipientes inveniri. Denique loci IV, 2, 19, IV, 3, 21, IV, 4, 7 excusantur, quod vis quaedam pronominibus illis a poëta tributa esse videtur. Atque memor sis velim, Tibullum et I, 1, 13 et II, 4, 35 pari modo in hexametri initio haec pronomina posuisse.

Reliquum est, ut dicatur, quarti libri elegias, quod ad hanc formam attinet, inter se differre. Atque in elegia altera quinquies sic hexameter, in quarta et septima ter orditur, carminibus quinto et sexto binos tantum hexametros sic formatos, tertio unum praebentibus. Igitur certe non habent, quod carmina tertium, quintum, sextum a Tibullo abjudicent.

Sequitur, ut de pentametri structura agatur.[2] Atque ad figuram – ⏑ ⏑ – – – pentametri initium factum est in altero quoque versu. Formam, quae ex meris dactylis constat, quarta pentametrorum pars in libro I, in libro II quinta, in elegiis libri IV sexta vel quinta (si libri alterius carmen alterum adnumeras) sequitur. Qua in re Eichner non recte annotat, in libro IV septimum quemque pentametrum ad hanc normam esse compositum. Deinde Zingerle[3] demonstravit, ea, quae protulit Eichner de pentametris illis, quorum initium duobus spondeis efficitur, non recte dici, quum in libro primo octavus, in altero septimus, in libri quarti elegiis adjuncto altero libri alterius elegidio sextus quisque pentameter norma – – – – – teneatur. Jam de formula – – – ⏑ ⏑ – dicendum est. Quae saepius usurpatur in libro IV quam in libris I et II, quum in libro I inter unum et viginti pentametros, in altero inter triginta, in quarto inter sex vel (altera libri alterius elegia adjuncta) septem singuli inveniantur hanc formulam exhibentes. Quapropter Tibullum has elegias non scripsisse, dixerit aliquis. Sed tecum reputes velim, in eis, quae sunt gravioris momenti, librum IV non recedere a ceteris, sed hac tantum in formula discrimen statui posse. Quod non tantum esse

1) cf. L. Mueller, ed. Tib. praef. p. XXVI.
2) cf. Eichner, diss. p. 64.
3) cf. Zingerle, Weiteres p. 76.

videtur, ut elegidia illa a Tibullo profecta esse neges, praesertim quum in plerisque versibus spondeum in primo loco positum dedita opera quaesiverit Tibullus. Atque spondeum, quem in initio versus IV, 2, 12 legis, excusamus, quia hexameter et pentameter in versus initio aequaliter sunt structi. Similiter res sese habet IV, 2, 6. Similitudinem enim sententiarum, quae insunt in distichis 5 et 7, iam pari verborum collocatione efferre vult poëta. Initium enim sumit distichon utrumque a pronomine, quod est ‚ille', in hexametro distichi utriusque invenis enuntiationem secundariam, in pentametri utriusque initio habes verbum, et hic et illic subjectum in distichi fine positum est. Quo fit, ut verbum ‚accendit', cujus duae primae syllabae sunt productae, in pentametri initio legatur. — Atque IV, 3, 14 (et demam) tres syllabae productae, a quibus orditur pentameter, sententiam, quae in verbis pentametri inest, magna vi sententiis antecedentibus (ipsa ego, ipsa ego) adjungunt. Quodam modo verba ‚ipsa ego', quae desunt in initio pentametri, compensare vult, quum tres syllabas productas ponat. Nec minus IV, 6, 12 hic pes probari potest. Pariter IV, 4, 4 adjectivum „formosae" pondere quodam in pentametri initio collocatur. Poëta enim petit ab Apolline, ut medeatur Sulpiciae, praesertim cum sit puella formosissima. Quodam modo hoc adjectivo causam afferre voluit poëta, qua facilius permoveretur deus, ut amatam sanaret. Quapropter optime spondeo, qua vi sit adjectivum, indicatur. Deinde IV, 4, 22 magnitudo miseriae, qua poëta affici potest Sulpiciae superbia, spondeo in primo versus loco posito bene describitur. Denique IV, 7, 2 vis, qua est ‚nudasse' in enuntiatione, spondeo effertur. Nec minus in locis IV, 6, 10, IV, 2, 22, IV, 3, 8 spondeum excusamus, quum ubique eo usus sit poëta, ut vocem in primo pentametri loco collocatam insigniret.

Quae cum ita sint, non commovemur, quod formula – – – ⏑⏑ – liber IV a ceteris differat, ut elegias, de quibus agitur, a Tibullo scriptas esse negemus, quum plerisque in locis iustissima causa positus esse videatur spondeus.

Neque quidquam comparatione prioris pentametri hemistichii cum priore hexametri parte ab Eichner[1]) instituta invenitur, quo elegidia libri IV a ceteris elegiis a Tibullo compositis recedant. Formulae enim illae, quibus Tibullus ad priores utriusque versus ordines componendos saepius in libris primo et altero utitur, fere eodem numero usurpantur in libro IV. Atque e quaestionibus illis, quas Eichner habuit de numeri similitudine aut varietate

1) cf. Eichner, diss. p. 5.

hemistichii utriusque, tantum abest, ut elegidia libri IV a Tibullo non esse profecta colligi possit, ut cum elegiis librorum I et II prorsus congruant.

De illa tantum formula, quae sic est comparata, ut et hexameter et pentameter constent ex meris spondeis, accuratius disserendum est.[1]) Atque quum in libro I quinque eiusmodi legantur disticha, libris altero unum, quarto tria disticha holospondiaca praebentibus (IV, 2, 9, 10; 4, 25, 26; 7, 5, 6), miretur aliquis numerum exemplorum huius schematis, qui invenitur in elegidiis, de quibus agitur. Sed si accuratius exempla illa e libro I sumpta examinaveris, quae quidem inter singulas elegias ita divisa sunt, ut ad solam quartam tria (35, 43, 67), singula ad septimam et octavam pertineant, in septem autem reliquis elegiis nullum huius generis exemplum sit, ea non in poëtae negligentia posita esse intelliges; immo, his locis schema illud arcessivit poëta. Apparet enim, hoc numero gravi verborum sensum iuvari et augeri. Atque in exclamatione usurpatur haec forma I, 4, 35 et II, 3, 29, quo fit, ut exclamationes illae graviore sono pronuntientur. Deinde I, 4, 43 tempestatem paulatim coorientem spondeis optime adumbrasse poëta videtur. I, 4, 67 gravi pondere spondeis positis sententia prioribus contraria profertur atque poenae, quibus afficietur ille, qui amorem vendiderit, describuntur. Atque IV, 2, 9, 10 poëtam spondeos consulto posuisse, inde apparet, quod in utroque hemistichio verba sunt aequaliter posita. Nec minore vi IV, 4, 25 beatum dicit Apollinem. Spondeos IV, 7, 5, 6 quoque, restat, ut commemoretur, cogitationi respondere. Ceterum IV, 7, 5 caesura semiseptenaria, non semiquinaria est.

Quae cum ita sint, in omnibus locis, quos modo enumeravimus, id studuit poëta, ut spondeis usurpatis sententiae vim quandam ac pondus afferret; quod cum aeque ad libros primum et alterum atque ad quartum pertineat, non e numero locorum, qui et in libris primo alteroque et in quarto rari inveniuntur, colligi potest, elegidia libri IV a Tibullo non esse scripta.

Igitur quum e quaestionibus illis Eichner, quas modo perlustravimus, appareat, elegias libri IV in eis, quae sunt gravioris momenti, cum carminibus librorum I et II congruere, in elegiis, de quibus agitur, spondeus primo versus loco paulo saepius legitur. Sed vidimus, poëtam in omnibus illis versibus spondeum consulto posuisse. Neque mirum est, saepius spondeum in libri IV carminibus — si intueris eorum argumentum — inveniri. Animi enim perturbatio atque ardor et Sulpiciae et Cerinthi in his elegiis descri-

[1]) cf. Eichner, diss. p. 27.

bitur. Quo fit, ut saepius optime spondeis utatur poëta, quibus graves illas querelas et precationes amantium adumbret. Amore enim in elegia tertia flagrat Sulpicia, elegiae quinta et sexta deorum precationibus sunt refertae, in elegia quarta metu, ne moriatur amata, amens est Cerinthus.

Quum adhuc de hexametri et pentametri hemistichio priore dictum sit, iam de utriusque versus ordine altero agendum est. Neque quidquam afferri potest, quo alterum hexametri hemistichium in elegiis libri IV ab arte hanc versus partem condendi Tibulliana recedere demonstretur. Nam quod arsis quinti pedis e vocabulo monosyllabo constat (IV, 3, 15; IV, 5, 1), quamquam rarius invenitur, tamen septies decies apud Tibullum legitur.[1]) Atque prior locus excusatur, quum vocula ‚mea', quae sequitur, cum arsi, quae efficitur voce ‚lucis', artissime sit conjuncta. Sed quominus illis versibus, qui ordinis exitum pedibus quarto et quinto pariter formatis divellunt, IV, 5, 1 adnumerem, prohibeor, quum versus caesura semiseptenaria divisus esse videatur.

Sequitur, ut dicatur, ex eis, quae de quarta distichi parte invenit Eichner[2]), nos non habere, cur libri IV elegias a Tibullo profectas esse negemus. Varia enim genera exitus iambici, quibus in libris I et II clauditur pentameter, eodem fere numero inveniuntur in libri IV elegiis quo in carminibus librorum I et II. Atque eae formulae, quae in carminibus, quae omnium consensu Tibullo tribuuntur, sunt usitatissimae, in elegiis quoque libri IV saepissime leguntur. Reperi certe, quum compararem hac in re elegias libri IV cum carminibus Deliae amorem canentibus et cum elegiis libri alterius prima, quarta, sexta, quae iudicio Teuffel perfectiores ceteris huius libri carminibus sunt, singula exitus iambici genera in libro IV fere eodem numero usurpari atque in carminibus, quae modo enumeravi.

Quod aeque pertinet ad ceteras exitus formas, dico exitum anapaesticum, dactylicum, choriambicum, quibus terminat Tibullus pentametrum. Qui cum rarius apud Tibullum inveniantur et ab omnibus poëtis, qui in versibus pangendis sequebantur leges duriores, evitentur, in elegiis libri IV non saepe usurpantur. Immo dicendum est, hos exitus in elegiis, de quibus agitur, aut omnino non aut pro numero, quem praebent liber primus et alter, rarius legi. Sed recte velim intelligas, quae modo dixi. Nam quum hi exitus in libris I et II rari sint, non efficitur, ab alio poëta intelligentiore

---

1) cf. Eichner, Bemerkungen, p. 16.

2) Eichner, diss. p. 67.

carmina libri IV esse composita. Immo idem studium versus quam elegantissime condendi quum hic atque illic cognoscatur, et libri quarti et librorum primi alteriusque carmina profecta esse videntur ab uno eodemque poëta, cui in hac carminum suorum parte contigit, ut duriora quaedam, quae alias quam rarissime usurpat, prorsus evitaret.

Restat, ut commemoretur, Eichner quaestionem de pari exitu quoque et prioris et alterius hemistichii pentametri instituisse.[1]) Invenit enim, in libris I et II utrumque pentametri hemistichium quinquies, in libro IV quater iambice finiri. Quapropter quum pro numero distichorum saepius usurpetur in libro IV iambicus utriusque hemistichii exitus, elegidia amorem Sulpiciae canentia a Tibullo scripta esse negare videtur. Sed loci, qui leguntur in libro IV, eodem modo excusari possunt, quo librorum I et II pentametros illos excusat. Huc accedit, quod Tibullus in libris I et II utrumque pentametri hemistichium ter anapaestice, ter choriambice claudere non dubitavit[2]), quamquam utriusque hemistichii exitus et anapaesticus et choriambicus apud poëtas intelligentiores multo rarius legitur. Neque hoc argumento adducimur, ut libri IV elegidia a Tibullo abjudicemus.

Igitur tantum abest, ut quaestionibus illis, quas instituit Eichner, permoti libri IV elegias ab alio poëta profectas esse putemus, ut miremur, Eichner de sententia sua non decessisse, quum fere omnibus rebus libri quarti elegias cum carminibus librorum I et II congruere ipse demonstraverit. Haec hactenus.

Jam in eo est, ut dicamus, Tibullum amasse, verbis quibusdam certis versus locis uti. Quae cum iisdem versus locis usurpentur in libris I et II quibus in IV, ab uno eodemque poëta et liber IV et cetera carmina profecta esse videntur. Ne quis dicat, fieri potuisse, ut alius poëta hac in re imitando consequeretur Tibullum, primum quidem loci illi commemorandi esse videntur, in quibus in libris I et II omnium consensu vere Tibullianis pares versus loci verbis quibusdam tribuuntur.

Atque utitur accusativo (et singularis et pluralis) substantivi senis (senem—senes) in fine pentametri locis his:

I, 7, 56: At tibi succrescat proles, quae facta parentis
Augeat et circa stęt, venerande, *senem*.

I, 10, 44: Sic ego sim, liceatque caput candescere canis,
Temporis et prisci facta referre *senem*.

I, 4, 80: Tempus erit, cum me Veneris praecepta ferentem
Deducat iuvenum sedula turba *senem*.

1) cf. Eichner, diss. p. 76.
2) cf. Eichner, diss. p. 81.

Sequuntur versus: I, 2, 90, I, 8, 50, I, 6, 82, II, 5, 94, II, 1, 74. — Praeter hos locos, quos modo commemoravi, substantivum senis non invenitur apud Tibullum nisi I, 9, 74.[1]) — Atque substantivum senis in ultimo pentametri loco posuit poëta, ut vim, qua est in enuntiationibus illis, hac collocatione efferret. Opponitur enim in his versibus ‚senex‘ puero vel iuveni.

Sedulus adjectivum, quod in libris I et II sexies legitur, quater in eodem versus loco usurpatur, quum I, 4, 80, I, 3, 84, II, 1, 50, II, 4, 42 priorem dactylum alterius pentametri hemistichii efficiat. (I, 4, 80: deducat iuvenum sedula turba senem.) Praeter hos locos legitur I, 5, 33, I, 5, 72. — Atque I, 5, 33 occupat dactylum quintum hexametri; I, 5, 72 in pentametro priorem dactylum prioris hemistichii complet. —

Cupido deus, qui ter apud Tibullum invenitur, ubique postremo hexametri loco legitur. (II, 1, 65, II, 3, 33, II, 5, 107). — Substantivum comitis habes II, 6, 2, I, 9, 42, I, 10, 24, I, 4, 41 eodem versus loco. Praeterea invenitur II, 3, 55, I, 5, 63 diversis hexametri locis. —

Vox forium in libris I et II ter decies usurpatur; quo ex numero in elegiis Deliae amorem canentibus decies invenitur. Quod mirum tibi non esse videbitur. In amore enim Marathi, Sulpiciae, Nemesis meretricis, cuius domus omnibus ‚dona pretiumque ferentibus‘ erat aperta, non habuit poëta, cur fores clausas quereretur. Atque in tredecim locis illis novies ‚fores‘, semel ‚foribus‘ postremo pentametri loco legitur.

Cererem deam II, 1, 4, II, 5, 58, II, 5, 84 ultimo versus loco habes. Praeter hos locos Ceres dea I, 1, 15 et II, 3, 61 commemoratur, ubi non eodem hexametri loco invenitur.

Substantivo agricolae utitur poëta in initio hexametri II, 3, 7, II, 1, 51, II, 1, 55; in fine prioris pentametri hemistichii II, 1, 36, I, 1, 14, in penthemimera legitur II, 6, 21, I, 7, 39, I, 7, 61. Praeterea I, 5, 27 in hephthemimera invenitur agricola.

Voce lacerti hexameter clauditur I, 9, 69, I, 8, 33, I, 2, 73.

‚Oscula‘ leguntur I, 4, 54, I, 8, 38, II, 5, 92 in initio, I, 9, 78, I, 8, 58, I, 1, 62, I, 2, 84 post caesuram pentametri.

Sequitur, ut de illis versibus librorum primi, alterius, quarti disseratur, qui pares versus sedes eisdem verbis attribuunt. Atque substantivum comae in libris I et II undevicies legitur. Hexametris I, 8, 43 et I, 3, 31 omissis ubique extremum pentametri locum occupat. Substantivo capilli, quo in libris I et II duodecies poëta utitur, ubique hexameter clauditur. Restat, ut commemoremus, vocem

[1]) hoc loco in thesi primi dactyli pentametri invenitur.

crinis mediis versus locis (hexametro I, 9, 67 neglecto, qui hoc substantivo clauditur) a Tibullo usurpari (I, 4, 38, I, 6, 68, I, 3, 69, II, 3, 25). I, 1, 68 pentameter ab hoc vocabulo capit initium.[1])

Qua in re si comparaveris versus IV, 2, 9 et 10 cum eis, quae modo de libris primo et altero dixi, mirabili consensu concentuque conjungi libri IV elegias cum ceteris, videbis. Substantivo capilli

[1]) Quum de versus locis agamus, in quibus substantiva comae, crinis, capilli inveniuntur, pauca in universum de locis, qui haec substantiva praebent, addantur. Atque crines pulchre dispositos pexosque hominibus magno esse ornamento putat Tibullus. Iuvenis, qui puellae placere vult, comam pectit (I, 8, 9, 10), puella, quae ‚iuveni volt bella videri', diligentissime crines disponit (I, 9, 67); senex, qui amore puellae aetate formaque florentis deperit, capillos cana senecta infectos nucis viridi cortice tingit manibusque trepidis fingit (I, 2, 91, I, 8, 41 [de puella]). Miratur poëta, Priapum pueris placere, quum ei barba non niteat, coma non sit culta (I, 4, 4). Neque cantu magico anus effecit, ut Deliae amore flagraret; immo facie, teneris lacertis, flavis comis amatae raptus est. (I, 5, 44.) Phoebum invitat poëta, ut adsit Messalino, qui in sacerdotum collegium recipiendus erat, atque petit, ut ‚nitidus pulcherque' veniat. Propterea deus induat ‚vestem sepositam' atque comas longas bene pectat (II, 5, 8). Quae cum ita sint, e Tibulli sententia puella seu iuvenis, qui belli haberi volunt, pulchris comis ornati esse debent. Quod sententia, quae inest in loco I, 3, 69, probatur. Tisiphone, mulier dira, est „impexa, ut poëtae verbis utar, feros pro crinibus angues."

Igitur quum Sulpicia, quae Martis Calendis se exornavit, puella formosissima sit, exspectamus, fore, ut in pulchritudine venustateque ejus adumbranda pulchrae comae commemorentur, — si a Tibullo hae elegiae scriptae sunt. Neque spe destituimur, id quod vides e versibus 9 et 10:

Seu solvit crines, fusis decet esse capillis,
Seu compsit, comptis est veneranda comis.

Atque sententia, quae in versu nono inest, puellam, quamvis sit incompta, placere posse, in libris quoque, qui ab omnibus tribuuntur Tibullo, invenitur I, 8, 15:

Illa placet, quamvis inculto venerit ore
Nec nitidum tarda compserit arte caput.

Haec hactenus.

Simili modo versus et 15, 16, 11, 12 et 19, 20 in memoriam locorum librorum primi alteriusque nos reducunt. Vestes enim Tyriae commemorantur locis his: I, 7, 47, I, 9, 70, II, 3, 58, II, 4, 28. Atque in omnibus, qui commemorabantur, locis versibus II, 3, 59 et IV, 2, 16 omissis legitur adjectivum. In locis II, 3, 58 et IV, 2, 16 Tyrum, urbis nomen, habes. Atque Tyros et in his locis et I, 7, 20 ultimo versus loco invenitur.

Restat, ut commemoretur, locum IV, 2, 19, 20 similitudine cum II, 4, 27 conjunctum esse.

enim in loco, de quo agitur, hexameter, vocabulo comae pentameter clauditur, ,crinis' in medio versu, quo loco fere usurpatur apud Tibullum, invenitur. Neque hoc praetermittendum esse videtur, substantivum comae, quod multo saepius in libris primo et altero legitur quam capilli et crinis, in quarti libri elegiis, quibus carmen II, 2 adnumeramus, quater inveniri, vocabulis crinis et capilli semel in loco, de quo diximus, usurpatis. Itaque ille, qui librum quartum composuit, pari modo quo Tibullus vocabulum comae ceteris praefert.

Restat, ut commemoretur, substantiva capilli et comae eisdem versus locis quibus IV, 2, 9 et 10 sibi opponi I, 8, 9 et 10. Simili modo crinis opponitur comae I, 9, 67. Ceterum et hic et illic voces comae, crinis, capilli nullo sensus discrimine usurpantur.

Jam de substantivo, quod est amor, agendum est. Cuius nominativo in elegiis illis, quae Sulpiciae amorem canunt, quinquies pentameter clauditur. Atque eodem versus loco nominativus legitur in libris I et II. In carminibus enim, quae primo composuit Tibullus (I, 4, 9, 8, 7, 10) quater, in elegiis Deliam celebrantibus quinquies, in libro altero sexies sic collocatur nominativus. *Intra* versum huius substantivi nominativus in libris I et II (praeter II, 3, 28 et I, 6, 30, ubi intra pentametrum usurpatur) in hexametro sexies legitur; in elegiis libri IV bis non usurpatur nisi in hexametro. Quae cum ita sint, amat poëta et hic et illic huius substantivi nominativo pentametrum claudere casu illo intra versum multo rarius usurpato.

Sequitur, ut commemoretur, Tibullum ceteris huius substantivi casibus obliquis in libris I et II sedecies hexametrum claudere. Quod aeque pertinet ad elegias libri IV, in quibus casibus substantivi amoris ter hexameter finitur. Atque quum in libris I et II accusativus pluralis „amores“[1]) in extremo hexametri loco octies legatur, in elegiis Sulpiciae amorem canentibus bis accusativus pluralis sic usurpatur; quo fit, ut similitudo, quae inter haec carmina intercedit, luce sit clarior. *Intra versum* ceteri huius substantivi casus in elegiis libri IV omnino non leguntur. Qui cum in libris I et II rarissime (bis in pentametro I, 4, 10, II, 3, 32, quater in hexametro I, 2, 27, I, 9, 39, 83, I, 2, 75) usurpentur, mirificam similitudinem vides, qua conjunguntur haec carmina. Atque commemorandum

[1]) Commemorandum est, accusativum pluralis „amores“ Tibullum praetulisse accusativo singularis „amorem“, quum accusativo pluralis in libris I et II octies (I, 1, 69, I, 2, 59, I, 2, 89, I, 3, 81, I, 6, 35, I, 9, 1, II, 4, 47, II, 4, 57), bis accusativo singularis utatur. (I, 4, 67, I, 9, 19). Quod aeque cadit in elegias libri IV, quae acc. sing. non praebent, acc. plur. bis usurpant (IV, 5, 11, II, 2, 11).

esse videtur, in locis I, 4, 10, II, 3, 32 pari versus loco substantivum, de quo agitur, inveniri. Quod aeque pertinet ad I, 9, 39, 83 et I, 2, 75.

Denique formae verbi amandi undecies in fine hexametri leguntur in libris I et II, infinitivo huius verbi semel intra hexametrum usurpato. Atque quum ex illis undecim locis septem formas participii praesentis in fine hexametri praebeant, casu ex mea quidem sententia non evenit, ut IV, 4, 7 participio praesentis claudatur hexameter. Haec hactenus.

In carminibus, quae primo composuit Tibullus, ‚precor' bis legitur; I, 8, 51 imperativo, I, 9, 40 conjunctivo adjungitur. In carminibus Deliae amorem canentibus ‚precor' conjunctivo tantum adjungitur, loco I, 3, 93 excepto, ubi pronomen ‚hoc' cum ‚precor' conjunctum est (I, 3, 4 et 5, I, 3, 83, I, 2, 12, I, 6, 42, I, 6, 56). In elegiis libri alterius ‚precor' (II, 1, 82, II, 3, 74, II, 5, 18, II, 6, 29) imperativo adnectitur praeter II, 5, 4, ubi cum infinitivo construitur. In carminibus libri quarti semel ‚precor' legitur, imperativo antecedente. Quae cum ita sint, hac re libri IV elegiae ad libri alterius carmina accedunt. Atque eodem pentametri loco, quo IV, 5, 12 ‚precor' invenis, legitur I, 9, 40, I, 2, 12, II, 5, 4. Thesin prioris dactyli alterius hemistichii efficit I, 6, 42, I, 6, 56, II, 1, 82, II, 3, 74. In versibus, qui relinquuntur, diversis locis legitur.

‚Quaeso', quod quinquies apud Tibullum invenis, ubique imperativo adjungitur atque eodem versus loco legitur IV, 6, 8, I, 1, 58, I, 5, 8, I, 4, 83, II, 6, 5.

In triginta quinque pentametris substantivum dei invenitur. Atque quum duodetricies pentameter voce dei claudatur, Tibullus amasse mihi videtur hoc vocabulo pentametrum finire. Quod in elegiis libri IV bis (IV, 4, 14, II, 2, 12) invenitur. Atque ex illis locis, in quibus substantivum dei in *hexametro* legitur, tres notandi sunt IV, 4, 25, I, 8, 31, I, 2, 81. Quibus in locis genetivo ‚deorum' hexameter clauditur.

‚Focus' deinde et hic et illic in fine pentametri legitur (IV, 4, 24, IV, 5, 12, IV, 6, 4. — I, 8, 70, I, 1, 6, I, 2, 82, II, 1, 22, II, 5, 52), loco II, 2, 3 omisso, ubi in medio hexametro usurpatur. — Eodem versus loco ‚acervus' et in libri quarti carminibus et in libris I et II (IV, 6, 1, I, 1, 9, I, 1, 77, II, 5, 89) invenitur.

‚Turba' apud Tibullum in libris I, II, IV, (elegiis, de quibus agitur, exceptis) undecies legitur; atque septies sic usurpatur, ut voce turbae arsis et prior thesis pars alterius dactyli in altero pentametri hemistichio efficiatur. Atque quum in septem locis illis sexies ante substantivum turbae sit collocatum adjectivum, quo prior dactylus expletur, semel verbis ‚tu mihi' ille formatur. Versus hi sunt:

I, 4, 80: sedula turba senem.
I, 3, 70: impia turba fugit.
I, 5, 56: aspera turba canum.
II, 1, 16: candida turba comas.
II, 3, 22: irrita turba domum.
I, 10, 38: pallida turba lacus.
IV, 13, 12: tu mihi turba locis.

In elegiis, quae Sulpiciae amorem canunt, ter vocem turbae habes; IV, 4, 18 pari loco, quo in septem illis pentametris legitur; IV, 4, 25 in hexametro habes turbam eodem loco, quo II, 1, 85 invenitur. II, 2, 22 quoque vox turbae cum adjectivo conjuncta est, sed quum adjectivum, quod est „novellus", in dactylum cogere non posset poëta, verba non eo ordine, quem alias amat, sed ‚turba novella' scripsit. Atque in ceteris versibus, quos non commemoravi, diversis versus locis usurpatur.

Cupidus adjectivum legitur in libri IV elegiis bis: IV, 3, 18 in fine prioris pentametri hemistichii, IV, 6, 11 in hexametro. Atque hoc tantum loco legitur ‚cupidus' in hexametro. Eundem locum, quo invenitur IV, 3, 18, occupat ‚cupidus' I, 4, 24, I, 8, 56, I, 9, 58, I, 1, 76. Praeterea bis I, 8, 74 et II, 5, 54 thesin prioris et arsin alterius dactyli in priore hemistichio pentametri efficit.

Vox gaudii eodem versus loco, quo in libris I et II, in elegiis, de quibus agitur, legitur. Atque IV, 3, 18 habes hoc substantivum in initio alterius pentametri hemistichii. Eodem loco usurpatur II, 1, 12 et II, 3, 72. — IV, 7, 5 hac voce dactylus quintus hexametri efficitur; eundem locum occupat I, 5, 39.

Verbum veniendi in elegiis Tibullianis undecies de deis et deabus dicitur, quos, ut adsint, obsecrat poëta. Atque in omnibus locis versibus II, 2, 1 et I, 7, 53 neglectis legitur imperativus. Qui IV, 2, 2, I, 7, 64, II, 5, 6 in pentametri fine usurpatur. — IV, 4, 9 (Sancte veni), II, 1, 3 (Bacche veni), II, 1, 81 (Sancte veni) in versu ita collocatur, ut alteram thesis partem primi et arsin alterius dactyli efficiat. — IV, 6, 13, I, 10, 67, II, 5, 7 alteram thesis partem tertii et arsin quarti dactyli efficit.

Superbus adjectivum et hic et illic eodem versus loco legitur, id quod colligitur ex his locis:

IV, 2, 22: Phoebe superbe lyra.
IV, 4, 2: Phoebe superbe coma.
IV, 5, 4: regna superba tibi.
I, 8, 80: regna superba tuo.
II, 5, 46: diva superba venit.

I, 8, 77 hoc adjectivo hexameter clauditur.

‚Merum' habes in fine pentametri I, 5, 38, I, 9, 26, I, 10, 32,

I, 10, 48, I, 7, 50, II, 1, 46, IV, 6, 14, II, 2, 8; alteram thesis partem primi et arsin alterius dactyli efficit I, 2, 1, I, 6, 27.

‚Custos‘ in pentametro quinquies invenitur; bis nominativus pluralis ‚custodes‘ (I, 1, 20, I, 6, 10) in pentametri initio legitur; deinde habes hoc substantivum in exitu prioris pentametri hemistichii I, 3, 84, II, 4, 32. Eodem loco usurpatur IV, 3, 4. (Atque in hexametro thesin alterius et arsin tertii dactyli efficit II, 1, 75 et II, 3, 73. Praeterea in hexametro quater legitur; atque aequabilitate sunt conjuncti et I, 1, 17, I, 2, 15 et I, 5, 21, IV, 6, 11.)

Casibus substantivi manus in libris I et II duodevicies pentameter clauditur. In elegiis, de quibus agitur, substantivum manus quater in fine pentametri positum est.

‚Tristis‘ legitur in initio alterius pentametri hemistichii IV, 4, 22, IV, 8, 2, I, 8, 28, I, 6, 2. Atque quintum hexametri efficit dactylum IV, 9, 1, I, 10, 11, I, 10, 49, I, 3, 19, II, 3, 65. (In initio pentametri I, 1, 62, I, 5, 50, ante caesuram pentametri I, 1, 50, II, 4, 12 usurpatur. In penthemimera ponitur I, 5, 9, I, 2, 49. Praeterea ter diversis versus locis legitur). Atque eodem sensu, quo IV, 4, 22, tristis usurpatur I, 8, 28, I, 6, 2. Simili modo quo IV, 11, 3 morbus I, 5, 9 tristis dicitur.

Eodem pentametri loco, quo usurpatur substantivum ‚vincla‘ IV, 3, 14, IV, 5, 14, IV, 6, 8, invenitur I, 6, 38, II, 1, 28. (Ceteris in pentametris, in quibus ‚vincla‘ legis, diversis versus locis habes: I, 5, 66, II, 3, 80, II, 4, 4 [II, 2, 18 vin*cu*la]. [In hexametro legitur I, 1, 55, II, 1, 7, II, 2, 19]).

In prioribus diximus, elegiam alterius libri alteram quarti libri carminibus adnumerandam esse. Quod si verum est, quum collocatio verborum quorundam in hac elegia eadem sit atque in libris primo et altero, ex hoc carmine argumenta sumi posse mihi videntur, quibus ab uno eodemque poëta et libri IV et ceterorum carmina profecta esse demonstremus. Certe miramur, accusativum pluralis ‚serta‘ saepius apud Tibullum cum adjectivo conjunctum sic usurpari, ut adjectivo prior dactylus, substantivo arsis et prior thesis pars dactyli alterius in altero pentametri hemistichio efficiatur. Loci, qui spectandi sunt, sunt hi:

I, 1, 12: florea serta lapis.
I, 2, 14: florea serta darem.
I, 3, 66: myrtea *serta coma.*
I, 7, 52: mollia serta gerat.
I, 10, 22: spicea *serta comae.*
II, 2, 6: mollia *serta comas.*

Praeterea ‚serta‘ habes II, 4, 48. Quo in loco adjectivum, quod legis „annua“, priorem prioris hemistichii dactylum, substantivum,

quod est ‚serta', arsin et priorem thesis partem prioris dactyli in hemistichio altero occupat. Eodem versus loco usurpatur ‚serta' II, 6, 32; adjectivum, quocum substantivum hoc loco conjunctum est, in priorem dactylum prioris hemistichii cogi non poterat. — II, 5, 97 hexameter voce serti clauditur; I, 2, 82 ab hoc vocabulo pentameter capit initium.

Dativum pluralis substantivi pedis (pedibus) ter, accusativum pluralis (pedes) decies, ablativum singularis (pede) octies, genetivum pluralis (pedum) bis sic usurpat Tibullus, ut his casibus pentametrum claudat. Quae cum ita sint, vicies septies casibus substantivi pedis pentameter clauditur. *Intra* pentametrum formae huius substantivi bis tantum, intra hexametrum quater inveniuntur. In elegiis, quae Sulpiciae amorem canunt, non invenitur substantivum pedis nisi II, 2, 22, quo loco accusativo pluralis huius substantivi pentameter clauditur.

Casibus substantivi temporis (tempora, temporis), si leguntur in hexametro, efficitur dactylus quintus huius versus (I, 8, 47, I, 2, 3, II, 2, 7, II, 5, 5[1]); in pentametro, si invenis ‚tempora', post caesuram posita est haec vox (I, 7, 50, II, 1, 4, II, 4, 12).

‚Rusticus' occupat in pentametro priorem post caesuram dactylum his locis I, 9, 8, II, 3, 4, II, 1, 52, II, 2, 14; in initio versus habemus ‚rusticum' I, 10, 51, I, 1, 8; quintum hexametri dactylum efficit I, 1, 23, II, 1, 21, II, 5, 85.

In prioribus de substantivis, adjectivis, verbis dictum est, quae eisdem versus locis in libri IV carminibus usurpantur atque in libris I et II. Iam vero speraverit aliquis, nos pauca esse dicturos, quomodo elegiae nostrae compositionibus verborum quibusdam, versuum partibus, singulis versibus memoriam nobis afferant locorum vere Tibullianorum. Quae hoc loco commemoranda esse videntur, quia saepius in versibus libri IV, qui hac in re spectandi sunt, verbis singulis vel compositionibus verborum eaedem attribuuntur in versu sedes, quas habent in libris I et II. Atque quum Lierse ea, quae iisdem vel similibus verbis reddidit Tibullus diversis locis, collegerit, ita ut Tibulli esse putaret libri IV elegias, nihil relinquitur, nisi ut, quae similia in elegiis librorum IV, I, II leguntur, sub uno aspectu ponamus.

I, 4, 49, IV, 3, 8. — I, 4, 50, IV, 3, 12. — II, 5, 54, IV, 2, 4. — I, 8, 49, IV, 4, 11. — I, 9, 80, IV, 5, 4. — I, 10, 33, IV, 3, 7. — I, 2, 87, I, 5, 69, IV, 2, 3. — I, 3, 52, IV, 4, 14. — I, 6, 35, IV, 5, 11. — I, 7, 1, IV, 5, 3. —

[1]) ter tempus significat corporis partem, semel aetatem.

Quibus locis a Zingerle adduntur:

I, 2, 96, IV, 4, 26. — II, 3, 10, IV, 3, 8, (I, 4, 49).

Iam ea, quae Lierse iudicavit de similibus locis, qui in universum inveniuntur apud Tibullum, in elegias libri IV. quadrant.[1]) Nam quum apud Tibullum haud ita multi loci similitudine eaque simplicissima inter se conjuncti sint, elegidia libri IV paucis simplicissimisque locis elegiarum ceterarum Tibulli in memoriam nos reducunt. Qua in re non omittendum esse videtur, libri primi locos maxime cum carminibus libri IV congruere.

Iam si spectas Lygdamum, quem multis locis cum Tibullo congruere vix est cur commemoremus, quam aliter res sese habet! Nam et numerus locorum similium multo maior est et similitudo ipsa, qua conjunguntur, tantum abest, ut sit Tibulliana illa simplicissima, ut prorsus ab ea abhorreat. Nam quum liberalem suorum ipsius verborum sententiarumque Tibullus sibi concedat repetitionem, Lygdamus aut nimium serviliterque Tibullum imitatur aut ea, quae a Tibullo sumpsit, male dilatat, ita ut intelligas, tale esse discrimen inter Lygdami et libri IV carmina, quali sententia ab eodem poëta bene iterata distat ab imitatione versificatoris inepta.

Itaque de imitatore ullo Tibulli, qui haec carmina scripserit, vix cogitandum est. Restat, ut commemoremus, Zingerle[2]) comprobavisse, Ovidium et Propertium elegidia libri quarti aeque imitatos esse atque carmina illa, quae ab omnibus Tibullo tribuuntur. Quapropter et libri IV et librorum I et II elegiae a Tibullo scriptae esse mihi videntur. Sed argumenta illa omnia, quae a Zingerle prolata sunt, exponere longum est. Quaestionis tamen eius, quam instituit de Propertio, narro summam. Loci enim, qui inveniuntur apud Propertium elegidiorum libri IV versibus quibusdam similes, et numero et ratione comparari possunt illis, qui ad similitudinem versuum omnium consensu vere Tibullianorum accedunt. Neque id omittendum est, quum apud Propertium locorum versibus vere Tibullianis similium numerus maior in libris posteriore tempore editis exsistat, elegidia libri IV eadem versari in conditione. Haec hactenus.

Quae cum ita sint, libri IV elegiae inde ab altera usque ad septimam a Tibullo compositae esse videntur. Iam de carminibus

---

[1]) cf. Lierse, l. c. (p. 6) p. 11.

[2]) cf. Zingerle, Weiteres p. 83—85.

inde ab octavo usque ad duodecimum dicendum est. Quae ab elegiis illis, de quibus in prioribus diximus, separanda esse iam demonstravimus. Atque haec carmina e sententia Gruppe Tibulli non sunt, sed a Sulpicia, puella doctissima, quae in elegia decima filiam Servi Sulpici se esse praedicat, sunt profecta. Neque enim fieri posse, ut ea fragmenta elegiarum Tibullianarum esse putes cum propter alias res tum propter sermonem. Quamquam ab arte metrica Tibulli non abhorreant, tamen ea a poëta arte insigni non esse scripta. Sermonem enim durum et impeditum esse. Saepius inania verba, quibus pedes quodam modo compleantur, legi. Haud raro verborum constructionem esse incertam, veluti in elegia decima, ubi verba vix possint construi, quamquam de sensu enuntiationis dubitari nequeat. Quapropter a puella, non a viro elegidia libri IV illa scripta esse.

Sed quamquam altera harum elegiarum series a Tibullo, altera a Sulpicia scripta est, tamen ratione quadam inter se conjunctae sunt. Nam in utraque de uno eodemque Cerinthi Sulpiciaeque amore agitur; in utraque dies natalis Cerinthi, morbus puellae commemorantur, ne longus sim, fere omnia, quae in re amatoria Cerinthi Sulpiciaeque in carminibus 2—7 exposita magni erant momenti, in epistolis quoque amatoriis insunt, quas scripsit Sulpicia. Quae cum ita sint, Tibullus in canendo Cerinthi Sulpiciaeque amore epistolas Sulpiciae secutus esse Gruppe videtur. Quod non esse mirum. Facile enim fieri potuisse, ut Tibullo Cerinthi Sulpiciaeque amorem carminibus concelebraturo epistolae Sulpiciae a Cerintho amico darentur.

Haec fere sunt, quae Gruppe de altera horum carminum parte protulit. Cuius sententiam plerique nostra aetate secuti sunt. Iam mihi dicendum est, quid de sententia Gruppe sentiam. Equidem adduci non possum, ut credam, haec elegidia esse epistolas Sulpiciae. Sane cogitari potest, puellam pulchritudinem amati carmine concelebrare et laudibus efferre, sed fieri posse nego, ut puella, quae perfidum esse amatum opinatur amorisque stimulis incitatur, amato perfidiam exprobret carmine. Deinde vix credibile est, puellam, quae laetatur, quod in urbe remanere sibi permittatur, carmine amatum de hac re certiorem esse facturam. Tantum abesse mihi videtur, ut nuntium illum versibus includat, ut quam celerrime amatum edoceat. Sequitur, ut commemoremus, non esse verisimile, puellam ex febri laborantem prompto ad poëma faciendum esse animo. Nihilo magis credibile est, puellam, quae amato se excusat epistolio, quod eum solum hesterna nocte reliquerit, versus esse facturam. Ne longus sim, haec carmina epistolae amatoriae Sulpiciae

non esse possunt. Si essent epistolae amatoriae, versibus non scripta essent. Ceterum tantum abest, ut a puella haec carmina profecta esse videantur, ut verbis obscoenis, quae in carmine decimo insunt, prohibeamur, quominus haec carmina Sulpiciae, puellae ingenuae, tribuamus.

Quae cum ita sint, Gruppe hac in re assentiri non possum. Recte autem iudicasse mihi videtur de ratione, quae inter elegias inde ab altera usque ad septimam et carmina inde ab octavo usque ad duodecimum intercederet. Utraque carminum series de uno eodemque Cerinthi Sulpiciaeque amore agit, fere graviora omnia, quae in elegiis 2—7 descripta sunt, in his quoque carminibus inveniuntur. Neque litigo cum Gruppe, quod multa in his carminibus inesse existimat, quae a sermonis elegantia absint. Sed ex hac sermonis duritia non recte efficere mihi videtur, puellam haec carmina scripsisse. Cur fieri non potest, ut vir negligentia quadam talia scribat? Atque Hertzberg[1]) demonstravit, Gruppe non habere, cur ex praepositionis ‚de' usu, qui invenitur in verbis „quod iam tibi de me permittis" conjiciat, puellam haec carmina scripsisse. Saepius enim praepositionem ‚de' apud poëtas Latinos pari modo inveniri. Porro si ex permutatione personarum, quae inest in extremo carmine decimo, iure colligeretur, virum artis grammaticae non peritum haec carmina composuisse, Propertius artis grammaticae imperitissimus esset iudicandus. Deinde non verum est, in carminibus octavo et nono de uno eodemque Cerinthi die natali dici. Qui enim fieri potuit, ut puella Cerinthi amati diem natalem diceret invisum? Itaque illa, quae ex ambiguitate sermonis, quam in his carminibus inesse putat, conjicit, carmina a puella esse scripta, non recte dicta sunt. Sed ea, quae modo dixi, non ita intelligas velim, quasi dicam, non inveniri in his carminibus, quae sint vituperanda. Immo, haud pauca in his carminibus insunt, quae ab elegantia sermonis, qua splendent elegiae libri primi, recedant. Sed memineris quaeso, in libro quoque altero saepius sermonem esse durum. Quod iam Gruppe, qui ea de causa libri alterius carmina imperfecta esse putat, et deinde Wisser[2]) demonstraverunt, qui multos libri alterius locos a Tibullo non esse profectos, sed ab aliis interpolatos censet.

Sequitur, ut commemoremus, omnes, qui hac in re versati sunt, concedere, haec carmina re metrica non abhorrere a libris I et II.

---

[1]) cf. Hertzberg: Hallesche Jahrbücher für deutsche Wissenschaft und Kunst. 1839, p. 1011.

[2]) cf. Wisser, quaestiones Tibullianae, Lips. 1869.

Neque enim ex eis, quae annotaverunt de versibus IV, 10, 4; IV, 10, 2;[1]) IV, 10, 1;[2]) IV, 11, 5; IV, 8, 3[3]) Eichner et Boltzenthal, habes, cur elegidia illa a Tibullo abjudices. Nam e libris primo et altero exempla afferri possunt, quibus probetur, Tibullum omnia ea, quae in versibus illis vituperantur, in carminibus librorum I et II sibi permisisse.

Quae cum ita sint, quo modo explicas, si a puella scripta esse haec carmina putes, puellam, quae in versibus condendis se adaequat Tibullo, in carminibus nonnullis prorsus abesse a sermonis elegantia? Deinde id velim intuearis, unum ex his carminibus, dico undecimum, esse summa sermonis elegantia, ita, ut intelligi possit, eum, qui haec carmina composuerit, eleganter scribere potuisse.

Igitur non a Sulpicia, sed a Tibullo ipso haec carmina profecta esse mihi videntur. Atque quodam modo commentarium elegiarum earum sunt, de quibus in prioribus dictum est. Atque rem velim animo sic tibi fingas, ut putes, Tibullum, quum sibi proposuerit, amorem Cerinthi Sulpiciaeque mutuum carmine celebrare, priusquam elegias inde ab altera usque ad septimam scripserit, amorem illum adumbrasse, ea, quae in amore illo magni erant momenti, in scheda breviter descripsisse. Quod versibus, qua versus condendi excellebat arte, fecit. Carmina igitur inde ab octavo usque ad duodecimum nihil sunt nisi commentarium, quod illum amorem summatim exponit, qui in elegiis 2—7 accuratius enarratur. Ita de die natali puellae, qui uberius elegia sexta celebratur, carmen octavum agit. Cerinthi dies natalis, qui elegiae quintae argumento est, carmine nono adumbratur. Amoris stimulos, quibus cruciari dicitur Sulpicia in elegia quinta, in carmine decimo legis. De morbo puellae et in elegia quarta et in carmine undecimo agitur. Denique amoris aestus, quo puellam exardescere vides in carmine duodecimo, cum omnibus elegiis (2—7) tum elegiis tertia et quinta praedicatur. Qua in re non mirum esse videtur, si singula in elegiis 2—7 commutata esse vides; graviora autem omnia et hic et illic inveniuntur.

Itaque non miramur, quod multa in his carminibus insunt, quae a sermonis elegantia abhorreant. Neque enim Tibullo erat in animo, ea foras dare; quapropter in componendis illis negligentia quadam usus est; nam quum hos versus scriberet, carmina condere noluit; nihil aliud facere ei erat in animo, quam ut ea, quae in amore Cerinthi Sulpiciaeque erant gravissima, quam brevissime

---

[1]) cf. Eichner, diss. p. 73.

[2]) cf. Eichner, Bemerkungen, p. 17. — cf. Boltzenthal, l. c. p. 2.

[3]) cf. Eichner, Bemerkungen, p. 12.

attingeret. Quapropter verba, quae versus tantum supplendi causa sententiae addita esse videntur, legi non mirum est. Praeterea memineris quaeso, elegantiam illam sermonis, qua libri primi carmina exornata sunt, saepius perpoliendo assecutum esse Tibullum. Quod ex carminibus libri alterius vides, quae saepius, quum sint imperfecta, duro sermone sunt. Quapropter Wisser multos libri II locos a Tibullo scriptos esse negat. Ceterum carmine undecimo demonstrari, eum, qui haec carmina conderet, eleganter scribere potuisse, iam in prioribus dictum est.

Sed quomodo fieri potuit, ut haec carmina elegiis Tibulli insererentur? Nam clarum esse videtur, Tibullum ea elegiis suis non adjunxisse. Atque Gruppe demonstravit, librum alterum post Tibulli mortem esse editum. Quod si verum est, facile fieri potuit, ut, qui librum alterum edidit, in eis, quae Tibullus scripta reliquerat, schedam inveniret, in qua haec carmina inscripta erant. Qui quum ea Tibulli esse videret, non dubitavit, ea foras dare.

Iam finem dicendi facio.[1]) De libri quarti carminibus inde ab octavo usque ad duodecimum alio loco accuratius dicere habeo in animo.

---

1) Commemorandum esse videtur, substantivum, quod est torus, IV, 10, 6 eodem versus loco usurpari, quo legitur in libris primo et altero. Septies enim in carminibus, quae omnium consensu Tibullo tribuuntur, hoc substantivo pentameter clauditur. Rationem non habeo loci I, 2, 75, ubi hoc substantivum intra hexametrum habes.
De adjectivo, quod est ‚tristis', iam in prioribus dictum est.

Vita.

Natus sum Carolus Christianus Knappe a. d. VII. Id. Nov. a. MDCCCLII patre Guilelmo magistro, matre Eleonora e gente Loeffler, quos adhuc esse vivos valde gaudeo. Fidem profiteor catholicam. Primis elementis imbutus gymnasium Erfurtense adii. E schola anno MDCCCLXXII egressus per quinque semestria Monasterii et Herbipoli literis sanctis operam dedi. Posteriore huius spatii tempore in literis quoque antiquis versatus sum. Amore artium liberalium in dies crescente permotus totum me dare antiquitatis studiis constitui. Quapropter per annum in hac urbe scholas V. V. D. D. Grasberger, Schanz, Urlichs frequentavi et philologorum Herbipolensium sodalitati interfui. Deinde Gottingam me contuli. Atque hic mihi contigit, ut per tria semestria V. V. I. I. Baumann, von Leutsch, Mueller, Sauppe, Wachsmuth uterer magistris. Per bis sex menses ibi philologorum seminarii sodalis fui. Literas sanctas me docuerunt Monasterii et Herbipoli V. V. D. D. Berlage, Bisping, Cappenberg, Hettinger, Hergenroether, Stein, Wirthmueller.

Omnibus his viris optime de me meritis gratias ago quam maximas.

Studiis literarum antiquarum absolutis a. d. XIV. Cal. Febr. a. MDCCCLXXVIII examen, quod dicunt, pro facultate docendi Gottingae superavi. Deinde a Cal. April. per unum annum stipendia merui. Quo facto Duderstadt missus sum, ut docendi munere in progymnasio regio illius urbis fungerer. Mense Aprili a. MDCCCLXXX certa muneris sedes mihi obtigit in collegio illo, cui usque ad hunc diem sum ascriptus.

Bartley

J-ak / TJK 0